Cracovien. Exemptionis

Super Manutentione,

In Rota diei 11 Aprilis 1777. rescriptum. Dilata et videatur de bono jure etiam ad effectum manutentionis.

Stantibus &c.

Dubium = *An sit danda Manutentio in possessione Exemptionis a Jurisdictione Ordinarii in casu &c.*

1 *Rev. Pater.* Præclarissimus Ordo RR. DD. Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri Domini Hierosolymitani, suam repetens originem, & institutionem ab ipso Apostolo Divo Jacobo, sub regula D. *Augustini* approbatus fuit, & immediatè receptus in protectionem S. Sedis à Summo Pontifice Cælestino II., *Summario num.*1. Unus autem, & alter ex hisce Canonicis ab Urbe Hierosolyma *an.* 1162. in Poloniam deducti fuerunt a celeberrimo Principe Jaxa Griphio, qui ea tempestate in suo, ubi summo potiebatur imperio, *Miechoviæ* Oppido excitavit Ecclesiam, & Cœnobium, quod inde *Miechoviense* appellatum est, uti narrant *Cromer. de reb. gest. Polon. lib.*6., & præstantissimus Historicus *Joseph Fontana* Clericus à Matre Dei in libro, cui titulus, *Storia degli Ordini Religiosi, e Militari ad ann.*1737. *fol.*128. *tom.*2. ibi = *Un Gentiluomo Polacco nomato Jaxa avendone altresi condotti da Gerusalemme in quel Regno di Polonia nel* 1162. *fondò loro un Monastero in Miechovv luogo distante da Cracovia otto leghe &c.* Ex eo Cænobio plures ejusdem Ordinis, & Instituti Conventus, ac Regulares Domus annis consequentibus originem habuerunt tam in Regnis ipsis Poloniæ, quam etiam Hungariæ, Galliæ, atque Hispaniæ, & ideo *propter sui excellentiam, ac vetustatem non solum omnium Cænobiorum suæ generationis, & Ordinis, quæ in Regnis Poloniæ extant, sed etiam omnium, quæ in Galliis, Hispaniis &c. consistunt, potest justè, & rectè censeri Vertex, Cardo, & CAPUT, cum omnia ab hoc Uno originem acceperint, & generationem &c.* =, ut his verbis testatur *Joannes Duglos. histor. Polon. ad an.*1162. *fol. mihi* 540., quem refert *Samuel Nakielski* Scriptor diligentissimus rerum Polonicarum *in Promptuar. antiquit. Ord. S. Sepulchri fol.*450.

2 Illustre hoc, atque adeo vetustum Regulare Institutum Romani Pontifices amplissimis omni ætate privilegiis

A de-

decorarunt. Inter hæc privilegia illud præsertim cura est, atque observatu dignum, quo cautum est, ut *universi Prioratus, Ecclesiæ, Domus, Præpositura, & omnia Loca eidem subjecta Ecclesiæ Hierosolymitanæ tam in Transmarinis, quam in Cismarinis Partibus constituta, & Personæ ipsarum ab omni jurisdictione, subjectione, & Dominio Archiepiscoporum, ac Episcoporum &c., & quorumlibet aliorum Ordinariorum &c. Auctoritate Apostolica haberi debeant EXEMPTÆ, ita quod Prioratus, Domus, Ecclesiæ, Præpositura, & Loca prædicta cum Personis ipsorum ROMANO DUMTAXAT PONTIFICI, & Patriarchæ Hierosolymitano, qui pro tempore fuerit, ac etiam nobis per omnia sint subjecta; & quod Archiepiscopi, Episcopi, & Ordinarii prædicti censuram Ecclesiasticam, seù jurisdictionem aliquam in dd. Prioratibus, Domibus, Ecclesiis, Præposituris, Locis, & Personis præfatis nequeant exercere &c.* =, verba sunt Bullæ Summi Pontificis *URBANI IV.*, qui ex Hierosolymitano Episcopatu ad Pontificatum Maximum evectus fuerat, *Summario num.* 2. Hoc autem Exemptionis Privilegium Pontifices consequentes confirmarunt, & latius etiam explicarunt. Nam *an.* 1435. *EUGENIUS IV.*, ut nostri Instituti Exemptio perpetuo servaretur, atque ut compesceretur audacia eorum, qui adversus illam actus aliquos exercuerant, non modo confirmavit Bullam Urbani IV., sed etiam *ipsorum Fratrum, ac Personarum potiori pro cautela Prioratus, Ecclesias, Domos, Præposituras, & Loca hujusmodi ubicumque existentia &c., necnon illorum Canonicos, Fratres, & Personas cum omnibus bonis, & juribus &c. a jurisdictione, subjectione, visitatione, subsidio, procuratione, potestate, & dominio Ordinariorum hujusmodi DE NOVO IN PERPETVUM EXEMIT, ET TOTALITER LIBERAVIT*, decernens, *omnes, & singulos Processus, necnon Excommunicationum, suspensionum &c. Sententias, aliasque Ecclesiasticas censuras &c., & quidquid fieri, & attentari contigerit contra tenorem d. exemptionis, nullius existere firmitatis*=, ut nosci potest ex ipsa Bulla Eugeniana, quæ datur *in Summario n.* 3., quas deindè Bullas Urbani, & Eugenii *an.* 1459. plenius confirmavit *PIUS II.*, & omnes in Capitulo sui Ordinis, quod *Miechoviæ* habitum est, exhibuit, & publicavit Generalis Ordinis Visitator *an.* 1464., *Summario num.* 4., *& litt.* C.

3 Luculentissima hæc sunt, & minime dubia Exemptionis monumenta, quæ rem omnem ponunt in illustri loco. Sed accedit adhuc *alia* particularis Bulla ipsius *URBANI*

NI

NI IV., qui, ne aliquis umquam de perpetua nostri Ordinis Exemptione dubitaret, aliam edidit Bullam, qua = *Ecclesiam DE MIECHOVIA, & omnia ipsius Membra existentia in Polonia, Boemia &c. AB OMNI JURISDICTIONE, POTESTATE, ET DOMINIO ARCHIEPISCOPORUM OMNIUM, ET ALIORUM QUORUMLIBET PRÆLATORUM &c., seù Ecclesiasticarum Personarum TOTALITER, ET PERPETUO Auctoritate Apostolica EXEMIT* =, verba sunt Bullæ ipsius Urbani, *Summario num.5. litt.A.* Atque hæc Bulla Urbani IV. vim etiam majorem accepit annis consequentibus; Nam eam confirmavit *GREGORIUS XI.*, uti patet ex *Summario dicto num 5. litt.C.*, & posteaLitteras utriusque Pontificis *Urbani*, *& Gregorii an.*1421. *MARTINUS V.* approbavit, *Summario num.6.* Quin etiam Joannes Cracoviensis Episcopus, cum præsentibus Viris complurimis & doctrina, & nobilitate præstantissimis, sedulo perpendisset authographum Literarum *Urbani*, & *Gregorii*, eas redigi jussit in publicam formam *sui ipsius apposito sigillo*, atque huic Transumpto eamdem adhiberi fidem voluit, quæ Authographo adhiberetur, *Summario dicto num.5. lit.E. F. G.*, *& H.*: id quod etiam *anno* 1505. altero suo decreto constituit Officialis ejusdem Curiæ Cracoviensis, *Summario dicto num. 5. litt. F.*

4 Quamvis autem *anno* 1489. *Innocentius* Papa VIII. obsignasset Bullam Suppressionis Ordinis Canonicorum Sanctissimi Sepulchri, ut ejus bona unirentur Religioni Equitum Melitensium, qui ea tempestate strenue pugnabant pro Christi fide, non inde tamen detrimenti aliquid accepit Ordo noster, qui erat in Regno Poloniæ, & ibi latissime jam patebat. Nam ea suppressio tantum respexit, & vim suam exeruit in iis Ecclesiis, atque Cænobiis, quæ sedebant *in Italia*, & *ulteriori Sicilia*, quemadmodum explicat *Gabriel Pennot. histor. tripart. lib.2. cap.67.*, ubi referens ipsam suppressionem, enumerat singillatim Ecclesias, & Monasteria, in quibus obtinuit Innocentiana suppressio, sed ne unum quidem facit verbum aut de Ecclesia, & Cænobio Miechoviensi, aut de reliquis ejus Ordinis Monasteriis, quæ in Regno Poloniæ sita erant; Idipsum etiam egregie explicat, atque declarat *Joseph Fontana cit. tom.2. fol.*141. ibi = *Quindi è probabile, che non si parlasse ancora de' Cavalieri del S. Sepolcro, al di cui inalzamento servì di base la rovina de' Canonici del medesimo S. Sepolcro, i quali furono in realtà soppressi in Italia, in Francia, ed in Fiandra, ed uniti i loro beni all'Ordine di S. Giovanni di Gerusa-*

 lem-

lemme, *ECCETTUATO IN POLONIA, OVE QUESTI CANONICI SI SONO SEMPRE MANTENUTI* = ; Idemque habet *Samuel Nakielski fol. mihi* 552. ibi = *Consequentium tamen Pontificum singulari gratia, & favore in aliis Christiani Orbis partibus*, *utpote in Germania*, *Boemia*, *Hungaria*, *POLONIA*, *& alibi idem Ordo in sua observantia tranquillè conservatus esse noscitur.* =

5 Quod adeò verum est, ut *an.*1506. Præpositus Generalis Miechoviensis, cum timeret, ne quid Innocentiana suppressio suo Ordini inferre posset præjudicii, preces obtulit Summo Pontifici *JULIO II.*, qui, ut jactat Pars adversa, superiori anno probaverat Innocentianam suppressionem; & vetustis sui Ordinis Privilegiis in medium allatis, eumdem rogavit, ut ea confirmaret, ac simul Ordinem S. Sepulchri in Regno Poloniæ sartum, tectumque servaret, *Summario num.*7. Procul ab omni suppressionis voluntate facile annuit Summus Pontifex, atque ad ipsum Præpositum Miechoviensem dedit Literas Apostolicas, quibus = *omnes Libertates*, *& Immunitates a Prædecessoribus Pontificibus sive per Privilegia*, *vel alias indulgentias d. Domui de Miechovia concessas*, *necnon Exemptiones &c. Auctoritate Apostolica confirmavit* = , *Summario num.*8. ; Quod præstiterat Julius II., cum Pontificatu Maximo fungeretur, id post annos complures, & multo post Innocentianam suppressionem præstitit alius Pontifex *LEO X.* Nam is *an.*1520. duas dedit Apostolicas Literas ad Generalem Præpositum Miechoviensem; Earum altera confirmavit Bullam *Urbani IV.*, cujus supra facta mentio est, & simul graviorem addidit prohibitionem = *omnibus Archiepiscopis*, *Episcopis*, *& aliis Locorum Ordinariis*, *ne in d. Præpositum*, *Fratres*, *& alios exemptos hujusmodi jurisdictionem*, *superioritatem*, *visitationem*, *correctionem*, *dominium*, *aut potestatem aliquam exercere &c.* auderent, uti latius in *Summario num.*9. Altera autem Bulla eosdem *Præpositum*, *& Fratres Ord. S. Sepulchri cum omnibus bonis suis sub B. Petri*, *& S. Sedis protectione suscepit*, iterum confirmans Apostolica Privilegia *Urbani IV.*, *Gregorii XI.*, & Pontificum superiorum, *Summario numer.* 10.

6 Quin etiam idem Pontifex Leo X. cum animadverteret, jampridem extinctam fuisse jurisdictionem, & dignitatem Patriarchæ Hierosolymitani, ad quem antea tamquam ad Superiorem Canonici Sancti Sepulchri referebantur, alteram evulgavit Bullam, qua Generali Præposito Miechoviensi confirmavit omnem potestatum, domi-

nium,

nium, & jurisdictionem, quam antea concesserat ipsi Præposito Patriarcha Hierosolymitanus, cum vitæ usuræ frueretur, nempe *dicti Ordinis Domos, Prioratus, Ecclesias jam in ipsis Regnis constructas, & construendas, ac illorum Personas tam in Capite, quam in Membris visitandi, & corrigendi, ac puniendi, ac absque Locorum Ordinariorum licentia electiones in locis sibi subjectis pro tempore factas approbandi, confirmandi, cassandi, & corrigendi, ac Domibus, & Locis Regnorum hujusmodi de Personis idoneis providendi, ac ejus auctoritate Loca, & Canonicales portiones inibi erigendi, & de illis etiam providendi, ac Rocchettum Fratribus dicti Ordinis in ipsis Regnis commorantibus concedendi &c., ac omnia quæ pro tempore Prior Generalis* (nempe Patriarcha Hierosolymitanus) *facere, & exercere posset faciendi, & exercendi &c.*, uti latius ostendit Apostolica Bulla, quæ datur in *Summar. num.* 11.; Atque omnes has Bullas, & Apostolica Privilegia, scilicet *Urbani IV.*, *Gregorii XI.*, aliorumque Pontificum, ac præsertim *Leonis* X. nostra hac ætate ex voto particularis Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium *ann.* 1680. approbavit, & confirmavit INNOCENTIUS XI., uti patet ex ejus Litteris, quæ extant in *Summar. num.* 12.

7 Horum sane jurium, & privilegiorum consequens erat, ut noster Ordo, qui, post obitum Patriarchæ ad Congregationem redactus fuerat, optimas etiam pro suo regimine leges sanciret, easque ad sua jura, & privilegia accomodaret. Hinc in generali Capitulo, quod habitum est *an.* 1585., cum esset Præpositus Generalis Miechoviensis *Andreas Bathoreus*, renovatæ fuerunt, atque sancitæ complures saluberrimæ leges, quibus Miechoviensis Preposítus Caput, & Superior Ordinis universi fuit constitutus, eique præscripta fuit ratio visitandi Ecclesias, atque Conventus ejusdem Ordinis, item faciendi electiones, approbationes, & revocationes tum Officialium, tum Beneficiatorum etiam cum Cura, dandi Literas Dimissoriales iis, qui Ordines erant suscepturi, aliæque complures editæ fuerunt Constitutiones, quibus recte instituerentur mores Canonicorum, & integra maneret Regularis vitæ observantia, *Summario num.* 13., & *lit. A. B. C.*, & *D.*, quas Constitutiones, & Regulas approbavit Summus Pontifex SIXTUS V. *Summario numer.* 14. Aliquando post eædem ipsæ Constitutiones laudatæ, probatæque fuerunt in Generalibus Capitulis habitis *an.* 1620., & 1625., Preposito Generali Miechoviensi *Matthia Lubienski*, atque aliæ etiam additæ sunt leges, ut cunctis esset provisum, quibus pro recto Ordinis re-

gimine opus esse videbatur, *Summario num.* 15., & *lit. A. & B.*, quæ omnia deinceps Pontificia auctoritate probavit URBANUS VIII., *Summario num.* 16.

8 Quotquot igitur hactenus fuere Præpositi Generales Miechovienses Ordinis SS. Sepulchri, semper plenam a quovis Episcopo exemptionem obtinuerunt, atque amplissimam in Regulares Canonicos ejusdem Ordinis jurisdictionem exercuerunt. Id, ut luce ipsa, qua fruimur, clarius, & lucidius appareat, satis est vel leviter percurrere immanem illam copiam Actuum jurisdictionalium, quos semper sine ulla controversia ad hanc usque diem gesserunt Miechovienses Præpositi Generales. Mittimus vetustissimas Visitiones, quarum monumenta penitus absumpsere & temporis edacitas, & repetita Miechoviensis Archivii Incendia; Sed quæ extant, & a nobis dantur, originem repetunt a *Sæculo decimoquinto*, eæque factæ sunt vel ab ipso Generali Præposito, vel ab ejus Commissariis in Ecclesiis, & Monasteriis Ordinis ubique positis, iisdemque in Visitationibus inquisitum est diligenter in vitam, moresque Parochorum, & multa, uti sese dabat occasio, reformatoria decreta emissa fuerunt, *Summar. num.* 17. *per tot.* Plena etiam sunt monumenta Pænarum, quibus Generalis Præpositus in sui Ordinis Canonicos animadvertit; Et huc spectant Privationes, Remotiones, Correptiones, Excommunicationes, quæ referuntur in *Summar. num.* 18. *per tot.* Magnus quoque numerus est Electionum, Resignationum, Approbationum ad Beneficia Ordinis etiam Curata, Deputationum Confessariorum, Concionatorum, aliorumque Officialium, quæ semper a Generalibus Præpositis factæ sunt, uti patet ex *Summar. num.* 18. *lit. H. I. L. O. S. V. T. Z. AA. BB. CC.*, & plures comprobant, iique spectatissimi Testes in *Summar. num.* 19. 20. & 21.

9 Neque mittendi sunt cæteri Actus, quos semper exercuerunt, & nunc etiam exercent Generales Præpositi Miechovienses, qui sane de eorum Exemptione, & Jurisdictione dubitare non sinunt. Huc pertinet formula, & actus Professionum Regularis Instituti, quas quilibet Canonicus Ordinis explere debet in manibus Præpositi Generalis Miechoviensis, obedientiam dumtaxat ei vovendo, ejusque Successoribus, ut in *Summar. num.* 22., & de facto proprio affirmant Testes dati in dicto *Summario num* 19. 20. *in princip.*, & 21. *lit. B.*; Huc Litteræ Dimissoriales datæ ab eodem Generali Præposito Canonicis Ordinis sui pro suscipiendis Ordinibus a quocumque Antistite, uti patet ex formula, quæ est in *Summar. nu.* 13. *lit. C.*, & probant iidem Testes in *Summar. dd. num.* 19.

in

in princip. , *num.20. litt.C.* , *& num.21. litt.B.* Huc demum Capitulares Electiones quatuor Generalium Præpositorum Miechoviensium, eorumque Confirmationes secundum Decretum Consistoriale *anni* 1725., & Concordata inita cum Sede Apostolica, *Summar. num.23. 24. 25. 37. 45.* , *& 46.*

10 Facile hinc intelligitur, quam recte, quamque merito Miechovienses Præpositi perpetuo renunciati, atque habiti fuerint *Generales*, *Superiores*, & Supremi *Moderatores* Ordinis nostri. Tradunt id probatissimi Scriptores, quorum supra meminimus, nempe *Joannes Duglos. fol.540.*, cujus verba descripsimus loco superiori; *Samuel Nakielski pag.232.* = ibi = *Monasterium Miechoviense, quod est CAPUT Ordinis Canonicorum Regularium Custodum SS. Sepulchri, vulgo Miechovitarum* = ; denique Joseph Fontana *fol. 128. tom. 2.* = ibi = *Qual Monastero di Miechovia essendo stato la cagione, onde molti altri se ne fondassero, E' AL PRESENTE CAPO di una Congregazione, che comprende venti Case tanto in Polonia, quanto nella Slesia, Moravia, e Boemia, ED E' GOVERNATO DA UN GENERALE, CHE HA IL TITOLO DI TUTTO L'ORDINE del Santo Sepolcro*: Quę cum ii Scriptores litteris consignarunt, non tantum respectum habuerunt ad Pontificias Concessiones, de quibus supra meminimus, sed etiam ad cætera, eaque luculentissima Exemptionis, & Jurisdictionis monumenta. Atque in primis occurrunt testimoniales literæ trium Poloniæ Regum. Earum altera est *Sigismundi*, qua an. 1549. demandatum fuit, = *Canonicos Sancti Sepulchri non quempiam alium*, QUAM IPSUM PRÆPOSITUM MIECHOVIENSEM SUPERIOREM AGNOSCERE *&c.* =, *Summar. num.26.* Altera est *Sigismundi III.* in qua habentur hæc = *Sacræ hujus Familiæ SUMMA CUM POTESTATE PRÆSES EST Præpositus Miechovien. &c., Pontificum auctoritate constitutus* = *Summar. num.27.* Postremam denique dedit *an.1677. Joannes III.* ad Summum Pontificem, in eaque statuitur = *quod liquidum, sit, Præpositum Miechovien. Ordinis Canonicorum SS. Sepulchri FUISSE SEMPER DICTI ORDINIS GENERALEM, tot publicis id testantibus documentis &c.* =, *Summ. num.28.*

11 Accedunt Responsa complurima Sacræ Rituum Congregationis, & Decreta Summorum Pontificum, atque solemnis, & publica Inscriptio edita a notissimo homine *Cyrillo Zuchovvski*, qui hujus litis Auctor est, & Fautor pręcipuus, quibus omnibus, patulis verbis constituitur,

Præpositum Monasterii Miechoviensis esse Caput Ordinis Sanctissimi Sepulchri, & in vim Privilegiorum exemptum esse ab omni Episcoporum Jurisdictione, *Summar. num.*29. 30. 31., *&* 32. Nec prætereundæ disertissimæ confessiones omnium Poloniæ Episcoporum, & præsertim ipsius Episcopi Cracoviensis, qui contra nos primarias in hoc judicio partes habet. Hi enim quoties rogati fuerunt, ut Institutionem darent ad Beneficia Curata iis, qui a Generali Præposito Miechoviensi electi, & præsentati fuerant, semper eumdem Præpositum nuncuparunt, atque agnoverunt *Generalem* Ordinis Sancti Sepulchri, uti ostendit immanis numerus earumdem Institutionum, quæ initium ducunt a sæculo superiori, atque ad hanc nostram ætatem excurrunt, *Summar. num.*33. *per tot.* Idem etiam plus vice simplici professi sunt tum Apostolicus Nuntius, tum Episcopus Cracoviensis datis *an.*1747. literis ad Sacram Congregationem Concilii, *Summar. num.*34. *&* 35., & luculentius fassus est idem Episcopus *an.*1751., cum relationem suæ Diœcesis mitteret ad dictam Sacram Congregationem, *Summar. numer.*36. *lit. A.* ibi = *Canonici quoque Regulares Custodes Sancti Sepulchri Domini habent* CAPITALEM CONVENTUM IN MIECHOVIA CUM PRÆPOSITO TOTIUS ORDINIS GENERALI =. Et idem quoque uncialibus literis evincunt Concordata, quæ *an.* 1737. inita fuerunt inter Summum Pontificem *Clementem XII.*, interque Regem, & Rempublicam Poloniæ, quibus assentiente, seque subscribente *Joanne Lipski tunc Episcopo Cracoviensi*, cautum fuit =, *quod in Miechoviensi Præpositura esse debeat PRÆPOSITUS GENERALIS* = *Summ. num.*37., *& lit. A.*, *&* B.

12 Par est ratio Capitularium Electionum Generalium Præpositorum, quæ a Sede Apostolica confirmatæ sunt, & quibus iisdem Præpositis tamquam Generalibus, & Supremis Moderatoribus Ordinis universi plena, & Jurisdictionalis cura ipsius Ordinis commissa est, *Summar. d. num.*23. 24., *&* 25. Et similis etiam ratio est judicialium agnitionum, quæ plus semel ab iisdem Episcopis factæ sunt. Nam *annis* 1510., *&* 1631. hæc ipsa nostra Exemptio, & Jurisdictio agnita, & comprobata fuit ab Archiepiscopo Gnesnensi, qui principem tenet locum supra omnes Poloniæ Episcopos, duobus judicialibus decretis, quæ convelli nequeunt, & prostant in *Summar. numer.*38., *&* 39.; itemque *anno* 1747. eadem Exemptio fuit declarata altero speciali Decreto Reverendissimi Nuntii Apostolici, quod etiam ratum habuit ipse Archiepiscopus Gnesnensis, *Summar. num.*40.

Mi-

13 Mirum hinc esse non debet, si nec Episcopus Cracoviensis, nec quisquam alius Poloniæ Episcopus ausus umquam fuit exercere actus illos jurisdictionales, qui ad unum Miechoviensem Præpositum tamquam Caput, & & Supremum Moderatorem totius Ordinis tum ex privilegiis Apostolicis, tum ex Constitutionibus Ordinis, tum ex diuturna observantia pertinebant. Revera nullus umquam Episcopus visitavit Ecclesiam, & Monasterium Miechoviense, ut ut adjunctam haberet curam Animarum, *Summar. num.* 41. 42. & 43.; nullus in Vicarios animadvertit nostrarum Parochiarum, nullus umquam eas providere ausus est, nullus aliquem exercuit actum jurisdictionis. Quinimo si qui umquam Episcopus, aut Commendatarius Præpositurę Miechoviensis in discrimen revocare tentavit adeo certam, atque perspicuam Iurisdictionem, & nostri Ordinis Exemptionem, omnes Causa cadere debuerunt, ac ne qui in posterum esset ea de re ambigendi locus, ampliora etiam a Romanis Pontificibus data sunt Privilegia. Ita *anno* 1620. cum Episcopus Cracoviensis quædam in Diæcesana Synodo decreta edidisset, quæ in detrimentum nostri Ordinis redundare videbantur, ut id rescivit Generalis Prępositus, statim sua jura, & privilegia in apricum protulit, atque ita strenue tum coram Episcopo, tum coram Provinciali Synodo, quæ deinceps habita est, vindicavit *Exemptionem*, *possessionemque in jure exercendi ordinariam suam jurisdictionem*, ut facile Episcopus ipse intellexerit, eadem jura, & privilegia in discrimen revocari non posse, & ideo mutato consilio, se ab emittendis Decretis, quæ animo versabat, abstinuerit, *Summar. num.* 44.

14 Consimili ratione nostro hoc ineunte sæculo cum Abbas Commendatarius jurisdictionem exercere voluisset in Monasterium Miechoviense, & ejus Canonicos, delata est controversia ad Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium, duobus propositis Dubiis, altero scilicet = *An Abbas Commendatarius habeat jurisdictionem in Monasterium Miechovien.*, *ejusque Membra* = & altero = *An Monachis, qui sunt in Monasterio Commendato, competat jus eligendi Superiorem Regularem Generalem* = Sacra autem Congregatio re quæsita diligenter respondit = *NEGATIVE ad primum* = *AFFIRMATIVE ad secundum* =, *Summar. num.* 45. Ac ne ulla umquam in posterum ea de re dubitatio oriretur, cum Summus Potifex *anno* 1725. Personę Sæculari in Commendam dare voluisset Præposituram Miechoviensem, Apostolico decreto constituit = *Commendatario nullam*

in Canonicos jurisdictionem dandam esse =, *Sum. n.*46.

15 Sed cura præsertim est, atque observatu digna lis acerrima, quam nostris hisce temporibus egit Reverendissimus Episcopus Præmisliensis adversus nostrum Ordinem. Cum enim vacua esset Parochialis Ecclesia S. Spiritus *in Przevvorsko* Ordinis S. Sepulchri in ea Diæcesi posita, Præpositus Generalis Ordinis suo usus jure, ad eam Parochialem una cum Capitulo elegit, atque approbavit Præsbyterum Canonicum Ordinis sui. Vix hæc gesta fuerant, cum in scenam prodierunt Princeps Lubomirski, qui contendere cæpit, eandem Parochialem esse sui jurispatronatus, & Reverendissimus Episcopus Præmisliæ, qui eam Parochialem Ecclesiam non esse Conventualem, sed suæ jurisdictioni tum ipsam Ecclesiam, tum in ea degentes Canonicos Regulares subesse propugnabat. Acta lis est coram hoc Sac. Auditorio, & cum ex nostris monumentis evidens esset, quod *Ordo Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri jamdiu amplissimis munitus fuit privilegiis, & signanter a Cælestino II., Innocentio III., Honorio III. Gregorio XI., Bonifacio VIII., Urbano IV., Leone X., quorum vigore ab Ordinaria Episcoporum jurisdictione universus eximitur Regularis idem Ordo* = verba sunt Decisionis *in Præmislien. Præposituræ super Conventualitate 27. Februar.* 1760. §. 12. *cor. Reverendissimo P. D. Decano*, hinc Dubio, quod erat = *An constet de Conventualitate Ecclesiæ Parochialis in Przevvorsko*, *seu potius* *DE ILLIUS SUBIECTIONE IURISDICTIONI EPISCOPALI ETIAM QUOAD PERSONAS IN CASU &c.* = Sacrum Tribunal facile respondit = *Affirmative ad primam partem*, *NEGATIVE ad secundam* =, atque in eadem sententia permansit bis, & tertio, ut nosci potest ex Decisionibus confirmatoriis *dierum* 22. *Ianuar.* 1761. & 15. *Februar.* 1762., quas Decisiones sequuta est Rotalis Sententia, *Summar. num.* 47.

16 Verissimum hoc, & gravissimum judicium Sac. Auditorii rem omnem in vado posuisse videbatur, ita ut nullus amplius esset futurus Poloniæ Episcopus, qui vetustissimam, & certissimam jurisdictionem Præpositi Generalis in discrimen adduceret. Nihilotamen minus *anno* 1764. Instigatori Curię Episcopalis Cracoviensis venit in mentem, in sua Curia lacessere Reverendissimum Florianum Buydecki tunc Generalem Præpositum, *quia non procurata Institutione*, *usurpative regimen Ecclesiæ Generalis Miechovien. apprehendisset*, ideoque petiit, *eamdem Ecclesiam prò vacanti declarari*, *& revocari tamquam usurpativum titulum Generalis*, *& Caput*

put Ordinis = Sed cum Pręposítus ostendisset, sese a suo Capitulo canonice electum, atque a Summo Pontifice confirmatum fuisse Generalem Ordinis universi secundum Concordata, ut *in Summar. num. 25. lit. C.*, lis in ipso ortu suo extincta est. Imò vero toto illo, quod deinceps elapsum est, temporis intervallo tam ipse Præpositus, quamdiu vitam egit, quam ejus Successor Reverendissimus *D. Matthęus Buydecki Principalis*, qui *anno* 1765. Generalis Pręposítus electus est, atque a Sede Apostolica confirmatus, *Summar. num.* 25. *lit. L.*, tamquam *Generalis Præpositus* agnitus est ab omnibus Poloniæ Episcopis, atque ab ipso Episcopo Cracoviensi, *Summar. num.* 33. *lit. L. M. N. DD.*, & suos, ut par erat, sine alicujus querela semper exercuit actus jurisdictionales Visitationum, *Sum. n.* 17. *litt. V.*, *&* *T.*, nec non Privationum, Electionum, Approbationum, uti patet ex *Summ. num.* 18. *litt. BB.*, *&* *CC.*, ac confirmant Testes dati in *Summ. num.* 19. 20. *&* 21.

17 Acta hæc sunt, uti dicebamus, tranquillissime, & procul ab omni Episcoporum querimonia; sed decennio post, *anno* scilicet 1774. idem Reverendissimus Episcopus Cracoviensis, seu potius ejus Instigator Fiscalis, qui, uti diximus, alius non est, quam irrequietus ille, suoque Ordini rebellis Cyrillus Zuchovvs*ki*, ut & ipse palam fateri non dubitavit *in Summ. n.* 48., turbas in re adeo pacifica obmovere visus est. Primum igitur in sua Curia excitavit vetustam illam, & consepultam instantiam *anni* 1764., & multa deinceps contra Reverendissimum Generalem nostrum cæpit contendere, scilicet UT solveret *Decimas* quasdam ab eodem Cyrillo prætensas, *Summar. n.* 49., UT se abstineret *à jure creandi Notarios*, & ab iis exarata instrumenta irrita declararentur, quamquam idem Generalis sine dubio eodem privilegio potiatur, *Sum. n.* 19. *lit. C.*, UT ipse Generalis pæna plecteretur, quia Fiscalatus Officium usurpasset, atque nulli declararentur processus absoluti in sui Ordinis Canonicos, *Sum. d. n.* 49. *lit. D.*, rursus UT graviter puniretur, quia Pręsidem Capituli constituisset ad amplian das pęnas contra eumdem Cyrillum Zuchovvs*ki*, atque ad Curiam perduceret Instrumentum Prothonotariatus *Sum. d. n.* 49. *lit. E. F. G.*, denique UT ostenderet, quis in Conventu Miechoviensi Animarum curam exerceret, atque ad Curiam Cracoviensem deferendos curaret libros Conventus Miechoviensis, & responderet oblatis articulis circa suppositos defectus in ejus Curæ exercitio, *Summ. d. n.* 49. *litt. I. k. & L.*, licet ex publicis, certissimisque monumentis evidens esset, omni cum dili-

diligentia, & rectitudine à Canonicis administratam fuisse curam Animarum, *Summar. dicto num. 49. lit. M.*, *& N.*

18 Injuriosissima hæc mandata, & citationes, quarum quælibet secumferebat pænam excommunicationis, non potuerunt non vehementer commovere animum Rmi Præpositi Generalis, qui vetustissima Privilegia sua, & possessionem vindicaturus juxta monitum Divi Ioannis Climaci = *Noli præter rationem silere, ne ex tui silentii improbitate aliis turbationis, & amaritudinis author fias*=, impetrandum curavit a Tribunali AC. Monitorium = *Super observatione, & exequutione prædictorum Privilegiorum, nec non super manutentione in possessione, seu quasi omnimodæ exemptionis a jurisdictione Ordinariorum, respectivaque circumscriptione supradd. actorum omnium contra eorumdem Privilegiorum formam eatenus gest. in Curia Cracoviensi, cum inhibitione*, ne interim tam ipse Rmus Præpositus, quam ejus Canonici a Promothore Cracoviensi molestiam aliquam acciperent, uti patet ex Monitorio, quod est in *Sum. num. 50.* Sed spreta hac Inhibitione, & spretis Apostolicis privilegiis nostri Ordinis, tria in Episcopali Curia Cracoviensi Mandata edita fuerunt, quorum *primo* Reverendissimus Præpositus Generalis prohibitus fuit, ne amplius in Ecclesia Miechoviensi auderet *celebrare cum usu Pontificalium*, ut in *Summ. n. 51.*, licet Apostolico hoc privilegio a tempore antiquissimo frueretur, *Summ. d. n. 51. lit. A.*, *altero* vero Confessarii fere omnes Miechoviensis Ecclesiæ, nulla indicta, & probata causa, suspensi fuerunt ab officio audiendi Confessiones, *Summ. d. num. 51. lit.* B., licet ipsi ab Episcopo facultatem hanc obtinuissent, *Summ. n. 51. lit. C.*, *tertio* demum mandato declaratum est, omnes fere Canonicos Monasterii Miechoviensis in excommunicationem incidisse, & edicta etiam hujus excommunicationis affixa fuerunt per valvas Ecclesiarum Poloniæ, *Sum. d. n. 51. litt. D.*, *& E.* Quin ne aliquid deesset iniquitatis, & contumeliarum, jussi etiam sunt singuli Procuratores, & Notarii, ne aliquis defensionem, quam omnes habent a jure naturæ, susciperet eorumdem Præpositi Generalis, & Canonicorum S. Sepulchri, *dict. Summ. num. 51. lit. F.*, *& G.*

19 Ut gravissimis hisce injuriis, & contumeliis frænum aliquod injiceretur, oportuit ab A. C. Gavotto Judice Monitorii specialem obtinere citationem *pro purgatione attentatorum, & circumscriptione* eorum, quæ gesta fuerant *post datum Monitorium, & Inhibitionem*. Sed cum

su-

subito remedio opus esset, coactus fuit noster Præpositus advolare Varsaviam apud Nuntium Apostolicum tamquam Judicem Exemptorum, qui, audito Fiscali Cracoviensi, *eadem omnia mandata, citationes &c. alias attentate, & in spretum auctoritatis Sanctæ Sedis emanata suspendit, & Causam ad A.C. Superiorem inhibentem remisit; Iterumque inhibuit, ne quidquam contra Recurrentes attentaretur, eosque a censuris omnibus sublevavit = Summar. num.52. litt.C. D. & E.* Æquissimum hoc Decretum pupugit animum Promothoris Curię Cracoviensis, qui coram Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Pro-Auditore Sanctissimi egit, ut circumscriberentur omnia, quæ gesta fuerant, tam coram A. C., quam coram Reverendissimo Nuntio, atque ut Causa Exemptionis avulsa a Tribunali A. C. vel ipsi Curiæ Cracoviensi, vel Sac. Congregationi Concilii committeretur, atque interim suum haberent cursum Mandata, quæ ab eadem Curia emissa fuerant, *Summar. num.53.* Sed Judex præstantissimus, re maturius perpensa, instantiam Circumscriptionis, & pertinentiæ Causæ delegavit Supremo Tribunali Signaturę, Censuras autem omnes mandavit *suspendi usque ad exitum litis, Summar. num. 53. litt. A.*; Hinc de pertinentia Causæ actum est in Tribunali Signaturæ, & cum sapientissimi Judices novissent, antiquam litis pendentiam super nostri Ordinis Exemptione in hoc ipso Sac. Auditorio, & cum præsertim animo reputassent Sententiam eadem de re latam a Reverendissimo P. D. Ratta contra alterum ex ipsis Poloniæ Episcopis, ut *in Summar. num.* 47., hinc die 14 *Septembris an.* 1775. contrariæ Commissioni responderunt = *Eidem Auditori Rotæ una cum Monitorio, & tamquam in prima etiam cum facultate circumscribendi* =.

20 Commissa deinceps fuit R. P. D. Ponenti totius rei cognitio, & hinc tria concordata fuerunt Dubia. *Primum* est de Manutentione *Exemptionis in genere*, uti in fronte hujus Libelli descriptum est. *Alterum* respicit Manutentionem Exemptionis quoad ea, quæ *pertinent ad Curam animarum, & administrationem Sacramentorum*, de quo agitur in contemporaneo Libello. *Tertium* denique pertinet *ad Circumscriptionem* actorum exadverso factorum in spretum Privilegiorum, & Inhibitionum A.C., quod sequenti Rota proponetur. Nunc igitur cum disputandum sit *de primo*, eoque præcipuo Exemptionis Dubio, haud sane nos animus fallit, RR. PP. ea, qua præstant, justitia responsuros = *Manutentionem dandam esse Præposito Generali Miechovien., & Canonicis SS. Sepulchri in possessione Exemptionis a jurisdictione Ordinarii* =, uti nos ea, qua par est, reverentia postulamus.

Enim

21 Enim vero si Manutentionem consequi debet quisquis veram habet possessionem, ambigi certe non potest, quin hæc Manutentio Generali Præposito Miechoviensi sit concedenda. Ipse enim vetustissimam habet possessionem, de qua dubitare non sinunt innumeri actus, quos semper Præpositi Generales exercuerunt, & quos hodiernus etiam Præpositus usque ad hunc diem jugiter exercuit. Reque vera in aperto, ac propatulo est, eos a sæculo decimo quinto sive per se, sive per Commissarios deputatos omni tempore visitasse Ecclesias etiam Parochiales, & Conventuales Domos Ordinis Sancti Sepulchri, quæ jacent in universa Polonia, Silesia, Russia, Ungaria, aliisque Provinciis; insuper eadem occasione in vitam inquisivisse, atque in mores Parochorum, & Vicariorum, multaque edidisse reformatoria decreta, quæ ad regimen Ecclesiarum, atque Ordinis universi pertinebant, *Summar. num.17. per tot.* Constat etiam, eosdem Generales Præpositos semper, & sine ulla controversia gessisse in Canonicos Ordinis sui actus Suspensionum, Privationum, Remotionum a Beneficiis, Correptionum, & Excommunicationum, ut palam faciunt actus ipsi jurisdictionales, qui referuntur *in Summar. num.18. per tot.*; præterea tum illos, tum etiam Principalem plurimas dedisse approbationes Canonicorum ad Beneficia etiam Curata, plures admisisse Resignationes Beneficiorum, quæ in in ejus manibus factæ sunt, aliosque nominasse, & elegisse, denique in plures sui Ordinis Præsbyteros Confessarii, & Concionatoris officium contulisse, *Summar. num.18. litt. G. H. I. O. S. V. X. Z. AA. BB. CC.*

22 Quod etiam egregie confirmant seniores Patres, qui omnes uno ore testantur = *Sub regimine quatuor Præpositorum &c. semper nostros Canonicos &c. ad officia Vicariorum, Concionatorum, Professorum, cæteraque per eosdem SOLOS Præpositos Generales missos, & designatos semper fuisse, ab iisque, quando necessitas postulabat, revocatos, vel etiam absolute sine dependentia ullius Episcopi amotos extitisse &c.*; *Quod vero respectu Officialium fieri vidi &c., id etiam cum Beneficiatis solebat practicari, quorum Electiones ad Beneficia non Episcopus aliquis, SED SOLUS GENERALIS approbare solebat, & ab illis &c. revocabat, aut amovebat, alios electos approbans, & substituens &c.* =, *Summar. num. 19., & 20.* Idque etiam de facto suo testatur alter spectatissimus Canonicus his verbis = *Ex Præpositura Lezayscen. Parochiali ex causis notis S. Religioni SINE ULLO INTERVENTU LOCI ORDINARII fueram amotus &c. Postea a Reverendissimo Generali moderno designata mibi* *fue-*

fuerat administratio Ecclesiæ Hospitalis Sanctæ Barbaræ &c., deinde sub eodem &c. electus fui ad regimen Ecclesiæ &c., & post duos annos translatus, & a Capitulo electus in Curatum Chelmen., CONFIRMANTE, ET APPROBANTE hanc electionem PRÆFATO GENERALI &c. =, *Summar. num.* 21. *litt.* C.

23 Luculentissima hæc monumenta, nisi egregie fallimur, ipsa profecto evidentia clarius, & illustrius efficiunt, fuisse semper penes nostros Præpositos Generales possessionem *Jurisdictionis*, & *Exemptionis*, & ideo consequens est necessarium, ut rejectis inanibus petitionibus eorum, qui rem clarissimam in tenebras rapere conantur, in sua vetustissima possessione retineantur, *Text. in cap. Cum Personæ de privileg. in* 6., *Marescott. var. resol. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 9., & in terminis Jurisdictionis, & Exemptionis contra Ordinarios sepissimè respondit *Rot.* signanter apud *Posth. de Manut. decis.* 596. *num. primo*, *decis.* 65. *num. primo coram Pamphil.* relata *post Marchesan. part. prima fol.* 980. ibi = *Fuit per DD. resolutum, Abbati Sancti Joannis dandum esse Mandatum de manutenendo in quasi possessione Exemptionis a Jurisdictione Episcopi Aquilani, quia de hujusmodi possessione benè deponunt Testes nedum in genere, sed etiam in specie exprimentes, quod Abbas est solitus deputare Presbyteros ad Curam animarum exercendam in suis Ecclesiis, & facere quamplures actus positivos gestos per Abbates, qui nonnisi Exemptis conveniunt, cujus ratione debetur ei Manutentio* = *decis.* 31. *num.* 5. *coram Ansald.*, ibi = *Dubitari idcircò non poterat, quin ipsa* (Confraternitas) *constituta esset in plusquam sufficienti probatione libertatis, & Exemptionis; Quemadmodum enim actus subjectionis, & Jurisdictionis constituunt illum, cujus favore cantant, in quasi possessione manutenibili pro eorumdem actuum continuatione, ita è converso actus stantes pro libertate efficiunt, ut prætendens se Exemptum, veniat in sua quasi possessione Exemptionis manutenendus* =, *& in Burgen. Jurisdictionis* 3. *Julii* 1713. §. *Constitit coram clar. mem. Barbadico*.

24 Clara hæc sunt, sed adhuc clariora efficiuntur, si cæteros spectemus actus Jurisdictionis, quos semper Miechovienses Præpositi exercuerunt. Recurrit enim hic formula, & actus Regularis Professionis, quos singuli Canonici explere consueverunt in manibus Præpositi, obedientiam dumtaxat vovendo Miechoviensi Præposito, ejusque Successoribus, *Summ. num.* 22., & ita semper fuisse servatum, referunt integerrimi Testes *in Sum. num.* 19. 20. *&* 21.

20. & 21. Accedunt Litteræ Dimissoriales pro sacris Ordinibus a quovis Episcopo suscipiendis, quas secundum formulam in Constitutionibus præscriptam *Summar. numer.* 13. *litt.* C. Generales Præpositi tribuere consueverunt universis Canonicis sui Ordinis, *Summar. dicto numer.* 19. *in princip.*, *num.* 20. *litt.* C., & *num.* 21. *litt. A.*, Et hos porro jurisdictionales actus a nostris Præpositis fuisse semper exercitos, testatur etiam *Duglos. fol.* 450. ibi = *Cui etiam Monasterio de Miechovia omnia Monasteria Ordinis præfati in Poloniæ, Hungariæ &c. Regnis consistentia subsunt, parent, & obediunt; a Præposito Miechoviensi, Provisiones, & Institutiones, Destitutionesque Locorum, & Charismata suscipiunt.*

25 Quo itaque magis à tot tantisque hisce Actibus clarissima educitur possessionis probatio, eo sane pronius idem Generalis Præpositus una cum Canonicis Ordinis sui retinendus est in ejusdem Exemptionis possessione, uti rectissime observat *Rota coram Bichio decis.* 459. *num.* 20. & *seq.*, *coram Otthobon. decis.* 125. *num.* 4., *in Rec. decis.* 546. *num.* 8. & *seq. part.* 5. *tom.* 2. ibi = *Quo vero ad possessionem, bene probatur ex actibus positivis, qui dantur, nempe ex Visitatione &c., in qua quamplures Ordinationes factæ fuerunt utrumque statum temporalem, & spiritualem concernentes, quæ dubio procul inferunt jurisdictionis exercitium. Dantur præterea admissiones ad habitum, & Votorum emissiones in manibus Superiorum Religionis, quæ propter obedientiam promissam, & subjectionem Patri Generali probant jurisdictionem* =, *decis.* 174. *Recent. part.* 17. *num.* 5.. Et optime pro eodem Ordine SS. Sepulchri, ejusque Priore in Calatajubij contra Episcopum Tyrasonen. definivit *Rota* in omnium precedentium revocatoria *Decis. TIRASONEN. Iurisdictionis super Reservatis* 22. *Iunii* 1739. §. 4. *cor. Canilliac.* ibi = *Observantia vero quoad personalem Exemptionem Prioris, & Canonicorum S. Sepulchri &c. ex pluribus emergere visa est, & primo ex actibus Professionum Regularis Instituti, quos quilibet Canonicus explere consuevit in manibus Prioris, obedientiam dumtaxat vovendo eidem Priori, & S. Sedi, non autem Episcopo, pro ut de cætero vovenda foret, quatenus profitentes subiecti esse deberent illius jurisdictioni, ut advertit Bordon. &c. Tum litteræ dimissoriales pro suscipiendis Sacris Ordinibus a quocumque Catholico Antistite, quas expediverunt Priores favore dd. Canonicorum, quæ Dimissorialium concessio manifestum præbet jurisdictionis argumentum, cum illam impartiantur solummodo Abbates Iurisdictione Ordinaria pollentes.* =

Ejus-

26 Ejusdem virtutis sunt Electiones Miechoviensium Præpositorum, & præstantissima illa monumenta, ex quibus patet, eos semper tamquam Generales, & Superiores Ordinis universi, atque ab omni exemptos Episcoporum jurisdictione habitos fuisse. Electiones inquam Miechoviensium Præpositorum. Nam quatuor continuas habemus hujusmodi Electiones, quæ factæ sunt a Generali Capitulo, & quibus Miechoviensis Præpositus constitutus fuit Dominus, Superior, & verus Ordinarius in sui Ordinis Regulares, neque aliquam ea in re Episcopus partem habuit, aut mandatum aliquod dedit, *Summario num.* 23. 24. *&* 25.. Qua in re illud præsertim notandum est, quod etiamsi Miechoviensis Præpositura adjunctam habeat Curam animarum, attamen Præpositi numquam Institutionem petierunt ab Episcopo Cracoviensi, sed secundum Consistoriale Decretum *Anni* 1725., & Concordata Sedis Apostolicæ, quæ dantur *in Summario num.* 37. *&* 46., postularunt, atque obtinuerunt confirmationem a Sede Apostolica cum expressa declaratione, quod ad eumdem Generalem Præpositum Miechoviensem pertineret administratio, regimen, & cura jurisdictionalis Ordinis sui, ut in *Summario dd. num.* 23. 24. *&* 25. *per tot.*; Nemo autem ignorat, quod hujusmodi actus sicuti manifestam faciunt exemptionem, & subjectionem Sedi Apostolicæ, ita clariorem efficiant nostram possessionem, quæ Manutentionis beneficio integra servanda est, ut præcise animadvertit *Rot. decis.* 700. *num.* 5. *coram Ansald.* ibi = *Tum affirmatio illorum actuum, qui ex parte Abbatis dabantur, sistentium in Electionibus Abbatum a Summis Pontificibus consistorialiter confirmatis, & quidem prævia expressione, quod in eodem Monasterio tamquam S. Sedi immediate subjecto administratio, & regimen sui ipsius tam in temporalibus, quam in spiritualibus plenarie resideret.*

27 Monumenta præterea, uti dicebamus, luculentissima, ex quibus evidens est, Miechoviensem Præpositum semper habitum fuisse *Generalem*, *Superiorem*, *&* *Caput* totius Ordinis, atque ab omni exemptum Iurisdictione Episcoporum. Testantur id non modo probatissimi Historici, quorum supra facta mentio est, sed etiam tres Poloniæ Reges, qui Sedi Apostolicæ suo ore significarunt = *Canonicos S. Sepulchri non alium quempiam quam Præpositum Miechoviensem SUPERIOREM agnoscere, eumque summa cum potestate Præsidem, & Generalem esse* totius Ordinis, *Summorum Pontificum auctoritate constitutum*, *Summario dd. num.* 26. 27. *&* 28.. Idem etiam constituerunt antiqua Responsa S. Rituum Congre-

ga-

gationis, & recentiora Sedis Apostolicæ, *Summ. num.* 29. 30. & 31.; Idem nuper ostendit Inscriptio acerbissimi nostri Contradictoris, *Summario num.* 32.; Idem denique perpetuo fassi sunt tum Nuntius Apostolicus in Regno Poloniæ, tum omnes ejusdem Regni Episcopi, atque ipse Episcopus Cracoviensis in Actibus Institutionum, & in Relationibus datis ad Sac. Congregationem Concilii, *Summ. num.* 33. 34. 35. & 36.

28 Quid insuper dicemus de judicialibus Confessionibus, deque Decretis, atque Sententiis, quibus nostra Exemptio perpetuo confirmata est? Porro cum *Anno* 1510. duo nostri Ordinis Canonici litem instituissent coram Vicario Generali Curiæ Archiepiscopalis Gnesnensis, is *non obstante allegatione Partium eos remisit ad Superiorem eorum TAMQUAM EXEMPTOS*: Verba sunt Decreti ejusdem Curiæ Archiepiscopalis, *Summario num.* 38. Similiter *Anno* 1631. alterum institutum fuit judicium coram eodem Archiepiscopo Gnesnensi, illiusque deputatis Commissariis adversus Præpositum S. Ioannis Gnesnensis Ordinis nostri, ab eoque *producta Bulla Urbani IV. per quam à Iurisdictione D. Archiepiscopi est exemptus*, mox iidem Commissarii suo Decreto statuerunt, *d. Præpositum in judicio præsenti Forum pati non posse &c.*, *Summario num.* 39. *litt. A.*, & *B.*. Nec prætereundum, quod *Anno* 1747. cum ab eadem Archiepiscopali Curia Gnesnensi latum fuisset Decretum contra Generalem Præpositum Miechoviensem, is provocavit ad Nuntium Apostolicum, qui Iudex est Exemptorum, ut inquit *Rota decis.* 254. *num.* 9. & 10. *coram Rezzonic.*, productisque omnibus Exemptionis suæ privilegiis *Summario num.* 40. *litt. B.*, facile Apostolicus Nuntius = *circumscripsit decretum Archiepiscopi Gnesnen. EX DEFECTU IURISDICTIONIS NULLITER LATUM*, *mandavitque in Tribunali suo Causam proponi* =, *dicto Summario num.* 40. *litt. D.*

29 Atque illud præsertim in hac turba, & copia monumentorum retinendum animo est diligenter, quod quisquis Exemptionem nostram aut evertere, aut in discrimen adducere ausus est, semper rejectus fuit, & repulsam pati debuit. Ita *Anno* 1620. cum Episcopus Cracoviensis in Synodo Diæcesana vehementer cuperet quædam edere decreta contraria juribus nostri Ordinis, Præpositus ejus temporis allatis Apostolicis privilegiis vindicavit non modo Exemptionem, sed etiam actualem possessionem suam in jure exercendi plenam jurisdictionem in ejus Ordinis Canonicos, *Summario num.* 44. & *lit. C.* & *D.* ibi = Tertio: *In earum Immunitatum*, & *Exemptio-*

ptio-

ptionum possessione semper Monasterium Miechoviense fuisse &c. Quarto : *Præpositus Generalis Miechovien. per eas omnes Diæceses, in quibus Cænobia, & Ecclesiæ illi subjectæ consistunt &c., Ordinariam in Religiosos sui Ordinis &c. jurisdictionem & exercuit semper, & nemine contradicente hactenus exercet, arbitratu suo Præpositos mutat, alios submittit, visitat, delinquentes punit, Congregationem &c. convocat &c., Statuta condit &c.*: Atque hæc verissima, & clarassima jura tanti sunt habita, ut Episcopus ab iis, quæ versabat animo, Decretis emittendis sese facile abstinuerit; *unde concludere fas est non tam veritatem d. assertivæ, quam ipsius Episcopi approbationem*, ut his verbis in re simili respondit *Rota in decis. 2. num. 19. de Offic. Ordinar. coram Falconer.*

30 Quid quod? *Anno* 1719. cum Commendatarius Præposituræ Miechoviensis in Canonicos nostri Ordinis suam exercere vellet jurisdictionem, rejectus fuit a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium dato responso, quod est *in Summario num.* 45., & quod deinde confirmatum fuit a Congregatione Consistoriali, quæ suo decreto *Anno* 1725. constituit, *nullam Commendatario in Canonicos dandam esse jurisdictionem*, Præpositum Generalem *per Canonicos eligendum, & per S. Sedem confirmandum esse, ab eodemque Præposito una cum Capitulo faciendam esse Provisionem Ecclesiarum Parochialium a Præpositura Miechovien. dependentium, Summ. num.* 46. Quid rursus, quod nostris hisce temporibus, anno scilicet 1760., cum Reverendissimus Præmisliensis Episcopus contenderet suæ Episcopali jurisdictioni subesse Canonicos Regulares Ecclesiæ, & Conventus S. Spiritus in Przevvorsk Ordinis nostri, Sacrum hoc Tribunal præviis tribus, iisque lucubratissimis *Decisionibus* editis a Rmo P. D. Ratta edixit, *Ordinem Canonicorum Regularium SS. Sepulchri jamdiu amplissimis munitum fuisse privilegiis, & signanter a Cælestino II., Innocentio III. &c. Gregorio XI., Bonifacio VIII., Urbano IV., Leone X. &c., quorum vigore ab ordinaria Episcoporum jurisdictione universus eximitur regularis idem Ordo*, & postea Sententiam etiam pronunciavit, cui demum fasces submisit ipse Episcopus Præmisliensis, *Summario num.* 47.

31 Profecto si veritas in prætio est, Sententia hæc, quæ deinceps vim accepit *Rei judicatæ*, lata contra Episcopum Præmisliensem statum facit etiam contra cæteros Poloniæ Episcopos, neque nunc licet aliquid contra eam decernere, nisi primum in integrum restitutio impetretur,

ut

ut præcise dixit *Rota in d. decis. 2. num. 19. in fin. de Offic. Ordinar. coram Falconer.* Robur igitur, & æs triplex circa pectus habeat necesse est, qui in hac probationum copia, & perspicuitate de nostra Exemptione ambigendum putet. Recens est Res judicata Sac. Auditorii, qua definitum est = *non constitisse, neque constare de subjectione d. Ordinis Episcopali Iurisdictioni = Summario num. 47.*, Solemnia sunt Decreta Consistorialia, & Sac. Congregationis Episcoporum, quorum supra meminimus, & quibus idem fuit constitutum. Rursus innumeri sunt actus Iurisdictionis, quos semper Miechovienses Præpositi exercuerunt, & in quibus nullus umquam Episcopus partem aliquam habuit; prout etiam centenæ sunt, eæque etiam judiciales confessiones Episcoporum Poloniæ, qui eamdem exemptionem fateri debuerunt.

32 In hac autem rerum luce aut cæcutiendum est, aut necessario fatendum, beneficio Manutentionis sartam tectam esse servandam possessionem illã Exemptionis, in qua semper fuerunt Præpositi Generales Miechovienses, quam pluries ipsi Poloniæ Episcopi agnoverunt, & quam toties Sacr. hoc Auditorium, atque alia Tribunalia comprobarunt; Recte, & ad rem nostram aptissime *Rot. in Leodien. jurisdictionis super Manutentione 23. Iun. 1713 §. ult. coram clar. mem. Card. Scotto* ibi = *Neque denegari posse visa fuit Manutentio favore Abbatis in quasi possessione exemptionis Monasterii, & Ecclesiæ eidem incorporatæ cum omnibus aliis annexis, & dependentibus. Nedum enim apparuit, illum semper quoad omnia mox dicta publice exemptum fuisse habitum, & reputatum, nec non fuisse, & esse in possessione talem se denominandi, & intitulandi, quod sufficeret ad effectum manutentionis, Rot. &c., verum etiam altius reassumpto examine boni juris docuit, & comprobavit ex Apostolicis non minus privilegiis, quam etiam ex longissima observantia, ac duplici Partis confessione frui, & de facto potiri eadem exemptione, unde eo fortius ad illius favorem concedenda venit manutentio=, & in Ratisbonen. Iurisdictionis 28. Februar. 1763. §.9. coram Illustrissimo Cornelio.*

33 Hactenus per omne genus probationum persequuti fuimus *affirmativam* observantiam nostræ possessionis; nunc pergimus ad observantiam *negativam*, quæ rem oleo tranquilliorem efficit. Nullus enim, prorsusque nullus ex adverso proferri poterit actus jurisdictionis, qui erga nostros Canonicos exercitus umquam fuerit. Revera neque Episcopus Cracoviensis, neque alius quisquam ex

Polo-

Poloniæ Episcopis umquam Miechoviense Monasterium visitavit, quamquam adjunctam habeat curam Animarum, uti probant fide dignissimi Testes *in Summario num.*41. 42. *&* 43. Imo vero illud decet animadvertere, quod = *cum Reverendissimus Kunicki Suffraganeus, & Officialis Generalis Cracovien. visitans Ecclesias circum circa territorium Miechovien, venisset quoque animo visitandi Ecclesiam nostram Miechovien., recordor, protinus ad eumdem à Reverendissimo Stanislao Stempkovvski missum fuisse R. Cajetanum Skovvronski cum juribus, & privilegiis Ordinis nostri &c., ut abstineret ab intentata visitatione, & Reverendissimus Visitator visis, & auditis privilegiis respondit, SE NOLLE VMQVAM PRÆIVDICARE eisdem, atque ideo non venisse animo exercendæ jurisdictionis &c.* =, uti enarrat Testis, qui rei omni præsens fuit, *Summario num.* 41. *litt. C.*

34 Illustrius id confirmant disertissimæ confessiones ipsorum Episcoporum Cracoviensium. Nam hi in relatione Status suæ Diæcesis, quam pluries miserunt ad Sac. Congregationem Concilii, patulis verbis declararunt, quod inter complura Monasteria Regularium, quæ in sua jacent Diæcesi, aderat etiam Monasterium, & Ecclesia Miechoviensis uti Caput, & princeps Ordinis Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri cum multis aliis adjunctis Domibus, & Ecclesiis, *Summar. d. nu.*36., sed in iis Relationibus neque vola, neque vestigium est aut visitationis factæ in nostris Domibus Regularibus, aut exercitæ in nostros Canonicos vel minimæ jurisdictionis, *Summario dicto num.*36. Cum itaque tum ex præstantissimis Testibus, tum ex relationibus Episcoporum manifeste pateat, quod Præpositus, & Canonici S. Sepulchri non visitantur, neque umquam ab Episcopis visitati fuerunt, hujus profecto generis monumenta quo firmiorem constituunt nostræ exemptionis possessionem, eo tutius efficiunt, ut Præposito, & Canonicis ejus, in qua semper fuerunt, possessionis manutentio concedatur, ut inquit *Rot. in d. decis.*2.*num.*15. *de Offic. Ordinar. cor. Falconer.*, & millies contra Episcopos in simili manutentionis judicio respondit *Rota* præsertim *in Constansien. jurisdictionis super Manutentione* 13 *Aprilis* 1714. §. *Stabilito coram Scotto*, & late in *Ratisbonen. Iurisdictionis super Manutentione* 4. *Martii* 1763. §.2. *&* 3. *cor. Illmo Cornelio*.

35 Nisi nos susceptæ defensionis amor misere agit transversos, rem eo perduxisse credimus, ut nullus omnino ambigendi locus esse possit, quin nobis petita Manutentio

sit concedenda. Nam omni genere probationum ostendimus, nostros Præpositos, nostrosque Canonicos semper suo usos fuisse jure, & privilegio exemptionis, neque ullum umquam Episcopum adversus eos actum aliquem jurisdictionis exercuisse. Quid vero si animadvertamus, quod hæc possessio nititur bono jure, & titulo certissimo, ex quo tota profluit exemptio, qua semper nostri Canonici usi sunt? Revera Ordinem nostrum SS. Sepulchri in ipso limine approbationis suæ fuisse receptum sub immediata protectione Sedis Apostolicæ, perspicuum est ex Bulla Summi Pontificis Cælestini II., *Summario num.* 1. Et hanc Exemptionis prærogativam à consequentibus Pontificibus fuisse confirmatam, atque disertius concessam eidem Ordini universo ubicunque existenti, ostendunt Bullæ Urbani IV., & Eugenii item IV., quæ postea confirmatæ fuerunt a Pio II., & quibus *universi Prioratus, Ecclesiæ, Domus, Præposituræ, & omnia loca tam in transmarinis, quam in cismarinis Partibus constituta, & Personæ ipsarum ab omni jurisdictione, subjectione, & dominio Archiepiscoporum, & Episcoporum &c. fuerunt exemptæ, ita quod Prioratus, Domus, Ecclesias, Præposituras, & Loca prædicta cum Personis ipsorum Romano dumtaxat Pontifici, & Patriarchæ Hierosolymitano, qui pro tempore fuerit, ac etiam nobis dumtaxat sint subjecta &c. Et quod Archiepiscopi, Episcopi &c. censuram Ecclesiasticam, seu jurisdictionem aliquam in dictis Prioratibus, Domibus, Ecclesiis, & Personis præfatis nequeant exercere &c.*, verba sunt Bullæ Urbani IV., *Summar. num.* 2., cum qua consentit altera Bulla Eugenii, & Bulla Pii II., quæ utramque confirmat, *Summar. num.* 3. & 4.

36 Piaculum autem esset omittere specialem nostræ Ecclesiæ Miechoviensis, ejusque adnexorum Locorum in Regnis Poloniæ Exemptionem, quæ comprehenditur alia Bulla ipsius Pontificis Urbani IV., qui *ECCLESIAM DE MIECHOVIA, ET OMNIA IPSIUS LOCA, membra, & Personas ab omni jurisdictione, superioritate, & potestate quorumcunque Ordinariorum totaliter, & in perpetuum auctoritate Apostolica exemit, ita quod nec Episcopi, nec Archiepiscopi dictam Ecclesiam, & membra utpote ab illorum jurisdictione avulsa, vel vos, aut Personas vestras suspendere valeant, aut quocunque modo in Ecclesias, membra, & Personas d. Ordinis eorum potestatem, VEL IURISDICTIONEM ALIQUAM EXERCERE &c.*, verba sunt ejusdem Bullæ, quam postea confirmarunt Gregorius XI., & Martinus V., *Summar. d. num.* 5. *litt. A. B.*, & *C.*, & *num.* 6. Quando igi-

igitur possessio Exemptionis , in qua versantur Rmus Præpositus , & Canonici S. Sepulchri , adeo justum habet titulum , & fulcitur Apostolicis Privilegiis , & Constitutionibus , ambigi certe non potest , quin hæc possessio beneficio manutentionis sit protuenda , ut statuit *Rot. cor. Bichio decis. 459. num. 3. ad 7.* ibi = *Esse autem exemptum Monasterium &c. à potestate Episcopi Marsicani, probatur ex Privilegiis Apostolicis , quorum aliqua nedum Monasterium, Moniales , eorumque bona suscipiunt sub B. Petri , & Sedis Apostolicæ protectione , sed ultro statuunt , quod nullus Marsorum Episcopus in hanc Ecclesiam aliquid jurisdictionis exerceat , unde excluditur prorsus Episcopi Marsicani jurisdictio &c. præsertim dictione ALIQVID , quæ universalis est , secundum subjectam materiam , & omnem etiam minimum jurisdictionis actum comprehendit , nec non proxima subsequenti prohibitione , quod nulli Episcopo fas sit , Moniales , vel Clericos præfatos excommunicationis , vel interdicti vinculo innodare , quod licuisset, Marsicano , si aliqualis jurisdictio penes illum remansisset* =, optime *in decis.700. num.1. & 2. coram Ansald.,in Marsicen. , seu Nullius Iurisdictionis super bono jure 7. Iunii 1700. §.4. cor. bo. mem. Muto* , relata *per Prosper. de Territ. separat. pag. 211. , & in Conversana Iurisdictionis 27. Novembris 1750. §.4. cor. bo. me. de Vais* .

37 Eoque magis , quia authographum ipsum privilegiorum Exemptionis *Ioannes Cracoviensis Episcopus ann. 1383.* suis ipsis inspexit oculis , atque illorum Transumptum a Notario conscribi , suoque Sigillo muniri jussit , & huic Transumpto suam interposuit auctoritatem , & decretum, jubens , ut ei semper eadem haberetur fides , quæ ipsi authographo esset habenda , *Summar. d. num.5. lit. E. F. & G.* Atque ipsum Bullarum authographum inspexit etiam , novitque diligenter *ann. 1505. Officialis Generalis Cracoviensis* , suo edito Decreto , quo constituit , ut eædem Bullæ perpetuo ratæ firmæ haberentur, *Summar. d. num.5. litt. I.* Tanti hæc profecto sunt , ut de nostræ Exemptionis privilegiis dubitare non sinant, & ideo ambigendi locus esse non potest , quin ea servari debeant ab hodierno Episcopo Cracoviensi , quem præsertim urget factum luculentissimum Prædecessoris sui , qui eorumdem Privilegiorum veritatem agnovit , eaque executioni mandavit , uti recte animadvertit *Text. in cap.Ex ore vers. per hoc de his , quæ fiunt a major. part. Cap , Dec. cons.206. num.7.* , nec non in punctualibus terminis *Rot. coram Bich. dec. 450. nu. 25.* ibi= *Quas litteras cum idem Episcopus executioni deman-*

daverit , agnovisse videtur veritatem huius enunciativæ .

38 Magisque etiam illustre Exemptionis monumentum suppeditat LEO X., qui *an.*1520. primum confirmavit Bullas Exemptionis editas ab *Urbano IV.*, & *Gregorio XI.*, gravioribus verbis prohibens = *Omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, ne in Præpositum, & Fratres, ac alios Exemptos hujusmodi Jurisdictionem, Superioritatem, Visitationem, Correctionem, Dominium, aut Potestatem aliquam exercere, aut alias dictum Præpositum, seu Fratres quovis modo inquietare, seu perturbare auderent* =, *Summario num.*9 Deindè vero idem Pontifex alia Constitutione sua eosdem *Præpositum, & Fratres &c. cum omnibus Bonis sub B.Petri, & S.Sedis protectione suscepit, Sum.n.*10. Denique eidem Miechoviensi Præposito confirmavit omnem illam potestatem, & jurisdictionem, quam antea Præposito concesserat Patriarcha, seu Prior Hierosolymitanus, qui tunc vitam agebat, nempe = *dicti Ordinis Domos, Prioratus, Ecclesias &c., ac illorum Personas tam in capite, quam membris visitandi, corrigendi, puniendi, ac ABSQUE LOCORUM ORDINARIORUM LICENTIA electiones in Locis sibi subjectis pro tempore factas approbandi, confirmandi, cassandi, & corrigendi, ac Domibus, & Locis Regnorum hujusmodi de Personis idoneis providendi, ac ejus auctoritate Loca, & Canonicales portiones inibi erigendi, & de illis etiam providendi, ac Rocchettum Fratribus dicti Ordinis in ipsis Regnis commorantibus concedendi &c.*, uti latius constat ex Literis Apostolicis, quæ extant *in Summ.n.*11. *litt.A.*

[illegible] Rem eo perduxisse credimus, ut quisque conveniat oporteret, in discrimen revocari non posse vetustissimam illam Exemptionis possessionem, in qua semper fuerunt nostri Generales Præpositi, & Canonici, quæ sanè eo magis illæsa custodienda est, quia comitem, sociumque habet titulum apertissimum, qui profluit ex Apostolicis Privilegiis, & Constitutionibus. Sciunt enim & Pueri, qui nondum ære lavantur, quod nullo modo denegari potest manutentio ei, qui præter perpetuos actus possessionis habet etiam bonum jus, quo eadem possessio roboratur, ut apposite ad rem nostram tradit *Rot.in Burgen.Jurisdictionis* 3.*Julii* 1713. §.*Adstipulante coram Barbadico*, ibi = *Adstipulante præsertim assistentia boni juris, ejusdem possessionis comprobativa. Monasterium enim S.Salvatoris quoad se ipsum omnino exemptum &c. ab Episcopali Jurisdictione &c. juxta disposita in Constitutionibus Urbani II. &c. est etiam Dominus Ecclesiarum de quibus agitur, easque nedum ad tenorem Bullæ Sixti IV. &c. independenter ab Archiepiscopis administrat, sed*

in-

insuper per longissimum tempus visitari consuevit per Abbates, aliosque Monachos ad id specialiter deputatos &c. Cumque ex præfatis circumstantiis ad opportunitatem præsentis judicii per DD. delibatis manifeste evincatur, Monasterii Abbatem in Ecclesiis controversis veluti existentibus sub dominio, & jurisdictione Monasterii Ordinarii vices implere, ac in eis se gerere tamquam verum, & ordinarium Prælatum, ac rite posse illas per consequens visitare, firmior itaque evadit Monasterii possessio, indeque facilius ad ejus limites decernenda est MANUTENTIO, CUM HÆC NUMQUAM DENEGARI SOLEAT, UBI ULTRA POSSESSIONIS ACTUM CONCURRIT, prout in hypothesi, boni juris præsumptio =, & in Gerunden. Manutentionis super Servitutibus, & actibus obsequii 28. Junii 1751. §. 3. core Cardinali Molino.

40 Quod jure sane, & merito receptum est. Nam qui præter possessionem habet etiam bonum jus, & titulum, is profecto minime agit de alieno jure præscribendo, sed potius de conservando jure suo, & ideo Manutentio facilius conceditur, uti coherenter ad dispositionem *Text. in cap. licet Causam 9. de probat.* notat *Rota apud Posth. de Manutent. dec. 5. n. 5., & dec. 513. n. 9., Alden. ad Gregor. dec. 323. n. 4., in Rec. dec. 368. n. 7. par. 4., cor. Emer. Jun. dec. 97. n. 3., cor. Ansald. dec. 700. n. 6., in Leodien. Jurisdictionis super Bono Jure 13. Junii 1713 §. Observantiæ cor. Scotto,* & punctim *in d. Tyrasonen. Iurisdictionis 30. Ianuarii 1739. §. 6. cor. Canilliac* ibi = *Quippe firma stante præexistentia tituli, observantia, quæ respectu Canonicorum S. Sepulchri non tendit in his terminis ad præscriptionem juris alterius sed ad conservationem juris proprii, sicuti favorabilior reputatur, ita etiam favorabilius inducitur, eaque tutius constabilita remanet, quando fundamentum habet in attestationibus Episcoporum, quos verosimile* **non** *est, in præjudicium propriæ jurisdictionis fateri ultro voluisse exemptionem Canonicorum S. SEPULCHRI, quando revera de tali exemptione illis certo non constitisset =*

41 Dignæ vix sunt, quæ refutentur, exceptiones illæ, quas proponit Pars Adversa, ut suadeat nobis Manutentionem non esse concedendam. Duo enim retinenda sunt diligenter, quæ facile controversiam omnem expediunt. *Primum* est, quod Causa hæc versatur in expeditissimo manutentionis judicio, ita ut exceptio quælibet, quæ paulo diligentius examen desiderare videatur, ad suum debeat delegari judicium, atque interim manutentio tribuatur ei, qui in exemptionis possessione reperitur, ut recte statuit

tuit *Rot. decis.175. num.11. coram Molin.*; *Alterum* autem est, quod Apostolica privilegia tantum a nobis proferuntur, ut magis magisque confirmetur possessio, quæ satis per se constituta est innumeris actibus, & comprobata Episcoporum confessionibus, quo casu deridiculum est in discrimen adducere exemptionem, quæ, missis etiam concessionibus, & privilegiis desumit legitimum titulum ex longæva, eaque perpetuo servata observantia, ut bene respondit *Rot. in Conversana Jurisdictionis* 27. *Novembris* 1750. §.7. *coram bon. mem. de Vais* = ibi = *Quandoquidem quæstio, quæ examen promereretur, si Exemptio ab Ordinaria jurisdictione decidenda foret dumtaxat ad tramites Concessionum, & Privilegiorum Sanctæ Sedis, cessat à toto genere, inspecta longæva inconcussa Exemptionis observantia, innumeris actibus constituta, confessionibus Episcoporum comprobata &c., in quibus circumstantiis non rite contenditur de interpretatione Concessionum, & Privilegiorum, frustraque in controversiam revocatur* EXEMPTIO, QUÆ DESUMIT LEGITIMUM TITULUM EX LONGÆVA PLURIUM SÆCULORUM OBSERVANTIA, PRÆCISIVE A CONCESSIONIBUS, ET PRIVILEGIIS =

43 Sed lubet contrarias exceptiones persequi singillatim, ut earum inanitas clarius appareat. Et initio quidem perperam nostrorum Privilegiorum veritas in discrimen revocaretur. Nam quod attinet ad Bullam Urbani IV., sicuti Prædecessor Episcopus Cracoviensis, & deinde Officialis Generalis *an.* 1505. ejus authographum suis inspexerunt oculis, ejusque Transumpto plenam in judicio, & extra judicium adhiberi voluerunt fidem, quæ Authographo ipsi haberetur, *Summario num.5. litt. E., & I.*, nequaquam licet ejus Successori sui Prędecessoris facto adversari, atque ambigere de veritate ejusdem Transumpti Apostolici privilegii. Quod autem spectat ad Constitutiones *Leonis X.*, non tantum eæ relatæ sunt, cum nulla prorsus suspicio esse posset, a *Samuele Nakielski* Scriptore accuratissimo rerum Polonicarum, *Summario num.* 9. 10., & 11., sed etiam de earum veritate dubitare non sinit altera recens Constitutio *Innocentii XI.*, relat. in *Summario num.12.*, qua tum Bullæ *Urbani IV.*, *Gregorii XI.* aliorumque Pontificum, tum præsertim Bullæ *Leonis X.* in forma specifica confirmatæ fuerunt, *Summario dicto num.12. per tot.*: Ex his enim apprime convinci ejusdem Bullæ Urbanæ veritatem, & legalitatem, in spécie animadvertit *Rot. in supradicta Marsicen., seu Nullius Jurisdictionis super Bono Jure* 7. *Junii* 1700. §§.11., & 12. *cor. bon. mem. Muto*.

Paris

43 Paris inanitatis est obtrudere, quod Innocentius VIII. nostrum Ordinem suppresserit, atque ita omnia ejus Privilegia abrogaverit. Nam, uti supra narravimus, non hæc Suppressio in toto Orbe Terrarum obtinuit, & præsertim locum non habuit in Regnis Poloniæ, DOVE QUESTI CANONICI SI SONO SEMPRE MANTENUTI, uti testatur *Joseph Fontana loco supra citat. ad an.* 1737. *fol. mihi* 128, cum quo etiam consentit *Samuel Nakielski cit. pag.* 552.. Verum omnem solvit nodum Breve *Julii II.* Summi Pontificis, qui contra fertur, Innocentianam Bullam confirmasse; Martinus enim, qui ea tempestate Præpositus erat Miechoviensis = *considerans, in quam graves scopulos nuper Ordo noster in Italia inciderat, ne pari calamitate etiam in Polonia &c Loca, & Monasteria suæ jurisdictionis involverentur, preclarissimorum privilegiorum olim Conventui Miechovien., Membrisque annexis &c. concessorum fecit Compilationem &c., illaque Romam ad Sedem Apostolicam transmisit, petens, quatenus Ordo antiquus tot gratiis, & Diplomatibus Summorum Pontificum nobilitatus in sua antiqua observantia, & statu tute, & tranquille conservaretur* =, uti narrat idem *Nakielski fol.*568. relatus *in Summario num.*7., cui petitioni benigne assensus est *Julius II.*, datis ad eumdem Miechoviensem Præpositum Apostolicis Litteris, quibus = *omnes libertates, & immunitates a Prædecessoribus nostris Pontificibus sive per privilegia, vel alias Indulgentias vobis, & dictæ Domui concessas, nec non libertates, & EXEMPTIONES &c. nec non omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura eidem Domui unita &c. cum omnibus juribus &c. auctoritate Apostolica confirmavit*, uti clara sunt, & quæ non egent interprete, verba ejusdem Brevis apud *Nakielski fol.*510., *Summario num.*8., & ejus rei veritatem confirmat ipsemet laudatissimus Scriptor *in Summario num.*7.

44 Omnino hinc lapidem, non hominem esse oportet, qui Innocentiana Suppressione nostrum Ordinem cum suis privilegiis in Regno Poloniæ periisse contendit; quando non solum ex gravissimo Historicorum Testimonio intelligimus, Ordinem Sancti Sepulchri integrum mansisse in *Regno Poloniæ*, sed etiam scimus ex specialibus posterioribus Literis *Julii II.*, atque ex tot actibus, qui postea gesti sunt, eumdem Ordinem semper sartum, tectum fuisse servatum, & ejus privilegia confirmata fuisse, uti respondit *Rot. in Tirasonen. Jurisdictionis 5. Decembris* 1735. § 5. *coram bon. mem. de Vais*; Suspicione adduci vix possumus fore, ut excipiat Pars Adversa, quod

 Ur-

Urbanus IV., qui Exemptionem concessit Ecclesiæ Miechoviensi, ejusque membris, eodem actu subjecerit Canonicos Sancti Sepulchri jurisdictioni Patriarchæ Hierosolymitani, ita ut eo deinceps extincto, omnis ejus jurisdictio ad Episcopos delata videatur. Vix ipsa concipi cogitatione inanius aliquid potest. Satis enim est oculis subjicere Bullas Exemptionis, ut noscatur, Canonicos Sancti Sepulchri omnino exemptos fuisse ab universa Episcoporum Iurisdictione, & tantum *Romano Pontifici*, & Patriarchæ, qui pro tempore fuerit, fuisse subjectos, *Summario num.* 2. 3. *&* 4.. Erat autem Patriarcha Hierosolymitanus Canonicus Regularis, & Caput Ordinis S. Sepulchri, idcirco æquum erat, ut Canonici ab eodem Capite avulsi, atque in Poloniam deducti, licet essent exempti ab Ordinarii jurisdictione, tamen subessent Patriarchæ, qui illorum Caput, & Princeps erat. Sed occupata ad infidelibus Hierosolyma, & extincto Patriarcha Hierosolymitano, haud sane ipsius jurisdictio deferri potuit ad Episcopos, qui nullam in nostro Regulari Instituto partem habent, & a quorum jurisdictione Ordo S. Sepulchri perpetuo exemptus fuit, ut recte monet *Piton. discept. Eccles.* 20. *n.*24.

45 Hinc Leo X., ut omnes in posterum ea de re tollerentur ambages, tres edidit Constitutiones, quibus exemptionem confirmavit, ac Præpositum Miechoviensem, ejusque Canonicos sub Apostolicæ Sedis protectione suscepit, eumque in sui Ordinis Canonicos verum Ordinarium constituit, *Summario num.* 9. 10., *&* 11.. Quin etiam duo spectatissimi Miechovienses Præpositi in Capitulis generalibus condiderunt Constitutiones, sive Regulas pro recto Ordinis universi regimine, quibus distincte, ac diligenter statuerunt modum, & formulas gubernandi, visitandi, eligendi ad Beneficia, approbandi, cassandi, dandi Literas Dimissoriales &c., quas deinde Sedes Apostolica confirmavit, *Summario num.* 13. 14. 15. *&* 16. *per tot.*. Quando igitur Bullæ Leonis X., quæ multo post Bullam Urbani IV. editæ sunt, uncialibus literis omnem prorsus excludunt Episcoporum jurisdictionem in Præpositos Generales Miechovienses, atque in Canonicos S. Sepulchri, iique omnes immediate subiiciuntur Sedi Apostolicę, & quando Constitutiones ejusdem Ordinis, quas Sedes Apostolica semel, iterumque confirmavit, eamdem exemptionem disertissime constituunt, salvo pudore, & reverentia, quę veritati debetur, dubitari certe non potest, quin nostri Præpositi, & Canonici plena frui debeant exemptione, atque in ejus possessione sint retinendi.

Nu-

46 Nugæ sunt; quod Episcopo subesse debeant *ex juris* dispositione Loca omnia, quæ in ejus Diœcesi sita sunt. Id enim verum est de Ecclesiis, & Domibus sive Regularibus, sive Sæcularibus, quæ nullum habent Exemptionis privilegium, quæque in ejus possessione minime versantur; Sed quando adest vetusta possessio Exemptionis, eaque originem ducit ab Apostolicis privilegiis; & concessionibus, omnis sane Episcopi jurisdictio conquiescat necesse est, & qui in exemptionis possessione versatur, in ea omnino est retinendus, uti tradunt *Card. de Petra ad Constit. Apost. sect. 1. pag. 145. §. 2. num. 15.*, *Rota cit. decis. 546. num. 1. & seqq. part. 5. tom. 2. recent.*, ibi = *Nam etsi vera sit conclusio, quod Ordinarii habent fundatam intentionem de jure communi in jurisdictionem omnium Monasteriorum Regularium intra suam Diœcesim existentium, & etiam ex sola juris assistentia in jurisdictionalibus non soleat denegari manutentio Ordinariis; attamen vera etiam est DECLARATIO, quando allegatur titulus exemptionis, vel privilegium exhibetur, ac de possessione docetur, tunc Regulares dum cognoscitur de relevantia titulorum, in eorum libertatis, vel exemptionis legittima possessione turbari non possunt, & Rota hanc declarationem semper est sequta &c.*=, punctim *in supradicta decis. 65. num. 4. coram Pamphil.*, ibi = *Nec facit, quod Episcopo jus commune assistat, ob quam assistentiam ipsi debeatur manutentio, quia stante quasi possessione Abbatis, illa assistentia juris communis ei prodesse non potest ad effectum, ut illius vigore ipse, & non Abbas sit manutenendus, maxime quia pro parte Abbatis ultra ejus quasi possessionem fuerunt etiam allegata antiquissima privilegia exemptionis, propter quæ facilius in sua quasi possessione jurisdictionis & exemptionis est manutenendus*=, *in Conversana Iurisdictionis 27. Novembris 1750. §. 3. coram de Vais*, & late *in Ratisbonen. Iurisdictionis super Parochialibus Reservatis 21. Februarii 1766. §. 5. coram R.mo Olivatio*.

47 Eoque magis, quia nullus omnino exadverso profertur actus, quo contrarium jus, & possessio evincatur. Magnos quidem agit triumphos Pars Adversa de paucis quibusdam, & antiquissimis actibus, sed nullus evertere, aut labefactare potest vetustissimam nostræ exemptionis possessionem. Prorsus inutiliter prædicat Pars Adversa, se interdum veniam dedisse convocandi Capitulum pro selectione Præpositor. Miechovien., aliquando etiam Capitulo præfuisse, nonnumquam Præpositos confirmasse, atq; etiam juramentum Obenditiæ, & fidelitatis à Canonicis accepisse. Mittimus, quod hæ confirmationes, sive institutio-

tutiones Præpositorum Miechoviensium antea debeant a solo Patriarcha Hierosolymitano, idque ab ipsa fundatione Conventus Miechoviensis, hoc est *ab anno* 1162. usque *ad annum* 1428., uti testatur *Samuel Nakielski pag.* 122. *& seqq.*, *pag.* 4 9., *&* 425., quod non obscurum suppeditat argumentum exemptionis ab Episcoporum jurisdictione. Illud unum animadvertisse sufficiat, quod id factum fuit vetustissimis temporibus vel ex conniventia quadam, vel ex incuria Præpositorum interdum Sæcularium, aut mandato Regum, qui sibi asserebant juspatronatus ad Præpositaram Miechoviensem, & Seculares Presbyteros titulo Commendæ præsentabant, uti Sedi Apostolicæ significavit Rex Joannes an. 1677., *Summario num.* 28. *litt. A.*, ibi = *Nec Generalatus Officium fuisse alio tempore quodammodo alteratum, nisi eo, cum Antecessores mei ad eamdem Præposituram Sæculares Prælatos per Commendam tenendam præsentaverint &c.*

48 Verum a sæculo superiori, scilicet ab anno 1677., quo rogante Poloniæ Rege a Sede Apostolica confirmatus fuit *Petrus de Pilca* tunc electus Præpositus Generalis Miechoviensis, *Summario num.* 28. *litt. B.*, & præsertim ab initio hujus Seculi, quo mediantibus Indulto Apostolico, Pactisque conventis cum Summo Pontifice constitutum fuit, electionem Præpositi Miechoviensis libere spectare ad Canonicos Regulares Ordinis, eumque a S. Sede esse confirmandum, *Summario dd. num.* 37. 45. *&* 46., nulla amplius ab Episcopo data est venia convocandi Capitulum, nullus ejus in electione interventus fuit, neque ulla umquam petita, aut concessa est Institutio, seu Confirmatio; *Unde qualibet possessio, quæ prætendi posset super illis fundata, per successivum tanti temporis decursum fuisset sublata*, ut his verbis in simili casu respondit *Rot. in Constantien. jurisdictionis super Manutentione* 13. *April.* 1714. §. *Neque in fin. cor. cl. me. Card. Scotto*.

49 Revera compertissimum est, non ex uno tantum, aut altero, sed ex plurimis, iisque consecutivis ultimis statibus Miechoviensis Præpositi electionem factam fuisse sine ulla Episcopi, vel ejus Ministrorum præsentia, eamque secundum Indulta, & Concordata cum S. Sede Apostolica, approbatam, & confirmatam fuisse, scientibus etiam, & patientibus ipsis Cracoviæ Episcopis, *Summario num.* 23. 24. *&* 25. *per tot.*, Clarum igitur est, quod antiquissimi illi actus, qui commode referri possunt vel ad conniventiam Præpositorum, quibus profecto minime licebat detrimenti aliquid inferre libertati Monasterii,

vel

vel ad necessitatem, vel ad studium Ministrorum Ordinarii, qui suam latius explicare cupiebant jurisdictionem, nullo in numero haberi debeant, presertim cum nostra universalis, & perpetua Exemptio luculentissimis monumentis aliunde comprobetur, ut egregie firmavit *Rot. in d. Constantien. Iurisdictionis super bono jure* 13. *Apr.* 1713. §. *Contraponi coram Scotto*, ibi = *Contraponi propterea si hactenus dictis nequaquam posse visi sunt nonnulli actus contrarii consistentes in eo, quod Vicarii Generales, vel Suffraganei Episcopi aliquoties præsederint electionibus Abbatum, quæq; fuerunt etiam aliquando ab Ordinario confirmatæ; Nã resistebant in contrarium pro enervandis mox dd. actibus non minus ultimus Status, in quo electio Abbatis expleta fuit absque ulla Episcopi, vel ejus Ministrorum præsentia, vel Confirmatione, ut deponunt Testes dati in Summario, quam etiam illa animadversio, quod dicti actus fieri potuerint ex conniventia Monachorum, quibus nec in animo, nec in potestate erat derogandi exemptivę libertati Monasterii, vel ex studio Ministrorum Ordinarii inbiantium extensioni proprię jurisdictionis, cum alias docto ex hactenus firmatis de universali Exemptione Monasterii, omnes actus in contrarium dicendi essent turbativi, & abusivi, ideoque non attendendi* =, & *rectissimè in Ratisbonen. Jurisdictionis* 28. *Februarii* 1763. §. 11. *cor. Illmo Cornelio*.

50 Meliora non sunt juramenta fidelitatis, & obedientiæ, quæ in iisdem Institutionibus Episcopi acceperunt a Præpositis Miechoviensibus. Sublata enim, uti paulo ante dicebamus, institutione, & confirmatione, sublatum etiã fuit accessorium juramentum, quod ideo nunc tantum Summo Pontifici exhibetur, *Sum. num.* 23. *sub litt. C. D*, & *num.* 25. *litt. E.*. Cæterum juramenta hæc obedientiæ tanti certe non sunt, ut tollere possint possessionem Superioris in loco exempto, atque Ordinis subjectionem evincant, ut scite monet *Rot. coram Peutinger. dec.* 467. *num.* 15., ibi = *Minus relevant confirmationes ab Episcopis factæ Abbatum Vultinen electionis ab ipsis præstitæ, postquam per Conventum fuerunt electi, in possessionem inducti, non possunt importare subjectionem, sed tantum benedictionem, quæ competit Episcopo, qua responsione tolluntur ea, quæ circa juramenta Abbatum d. Monasterii in manibus Episcoporum præstita dicuntur, cum benedictionem, & non jurisdictionem tribuant* = *coram Ansald. decis.* 700. *num.* 4., & late *in dicta Constantien. super Manutentione* 13. *Apr.* 1714. §. *Juramenta coram Scotto*, ibi = *Juramenta similiter fidelitatis aliquando præstita pee Abbates de servanda*

 Re-

reverentia Episcopis Constantiensibus ; sicuti non poterant invertere jus passivæ Exemptionis non auferentis obligationem Exempti quoad reverentiam debitam Ordinario ; in cujus Diæcesi existit, ita neque poterant tollere Abbatis possessionem in Loco exempto, vel illam tradere Episcopo =

51 In eodem luto hæret Pars Adversa, cum obtrudit vetustissimam quamdam Sententiam Privationis editam anno 1468. ab Episcopo Cracoviensi contra Præpositum Miechoviensem. Principio ejus Judicii acta minime proferuntur, & ideo resciri non potest, quomodo judicium ipsum actum fuerit, & quid utraque ex parte propositum. Illud vero reponderandum serio est, quod illa Episcopi Sententia lata fuit contra Nicolaum Præpositum, qui *per judicialem inquisitionem* agnitus, & judicatus fuerat = *bonorum Monasterii sui, & Domus Dilapidator, perjurus, fornicator notorius, adulter, & irregularis* = verba sunt ipsius Sententię, quæ exadverso profertur. Cum itaque ageretur de Criminibus, quæ non tam voto Regulari adversantur, quam pręceptis Dei, quibus Christiani omnes tenentur, mirum non est, quod eorum cognitio per inquisitionem ad Episcopum pertinuerit secundum juris communis dispositionem. Sed hic processus, & inquisitio non quidem Ordinario jure, sed tantum *jure delegato* ad Episcopum spectare dicitur, ut ex doctrina *Textus in Cap*, 1. *de privil. in* 6. *innovat. a Concil. Trident. sess.* 14. *cap*.4. dixit *Rot. decis.* 15. *par.* 1. *num.* 1. *recent.*, & ex notissima Constitutione *Sa. M. Gregorii XV.* tradit *Lotter. de Re benef. quæst.* 24. *num.* 77. ibi = *Nihilominus quia adhuc tam Regulares, quam Sæculares etiamsi deliquissent &c.*, *declinabant jurisdictionem Ordinarii prætextu Exemptionum, eadem Constitutio Gregorii XV. censuit, eos ita Delinquentes ab Episcopo Loci similiter tamquam ad hæc Sedis Apostolicæ DELEGATO, quoties, & ubi opus fuerit, puniri, & corrigi* = *Rot. decis.* 254. *num.* 6. *cor. Sa. Me. Clemente XIII.* ibi = *Nam in Causis Criminalibus majoribus procedentibus ob corruptos mores, seu graves excessus patratos cum læsione Majestatis divinæ, & humanæ, cognitio jure delegato competit Episcopo, dummodo ipse procedat per se ipsum puniendo, & corrigendo Exemptos vigore suæ delegatæ Iurisdictionis juxta Decretum Concil. Trid. sess.* 14. *cap.* 4. *de Reform.*

52 Quid opus verbis est? Eadem Sententia lata fuit contra Miechoviensem Præpositum tot manifestis criminibus notatum

tatum non quidem ad instantiam Promothoris Fiscalis Curiæ Cracoviensis, sed ipsorum Religiosorum, qui ideo ad Episcopum confugerunt, quoniam ob loci distantiam ad Sedem Apostolicam provocare non poterant, ut pateret certius ex Actis, si exadverso integra exhiberentur. Merito igitur in solemni Protestatione, quam *anno* 1620. emisit Præpositus Miechoviensis, & quam ipse etiam Cracoviensis Episcopus ratam habuit, refutatum fuit hoc ipsum, quod nunc obtruditur, Ordinariæ jurisdictionis exemplum, ut legi potest in *Summar. n.* 44. *litt.* C. ibi = *Si quod umquam extat exèmplum animadversionis Episcopalis in Præpositum Miechoviensem, id factum esse ob insignes illius excessus, Religiosis ipsis, quibus ad Sedem Apostolicam ob distantiam Loci difficilis fuit recursus, ad Episcopum confugientibus, qui tamen casus nec in exemplum trahi potest, & omnino nihil jurisdictionis Ordinariæ potestati adiicit*: Id autem, quod ea tempestate dictum a nobis fuit, & ab Episcopo Cracoviensi probatum, hodie certe non potest ab ejus Successore in discrimen revocari. Et optimo quidem jure. *Nam cum Episcopus exercet jurisdictionem delegatam, potius præservat, & confirmat Exempto tale privilegium*, ut inquit *Lotter. cit. quæst.* 24. *num.* 268. *& seq.*, & monet *Rot. decis.* 239. *n.* 25. *&* 26. *p.* 8. *rec.*, & in casu, quo non una tantum, sed plures editæ fuerant ejusdem generis Sententiæ in simili Causa hæresis, & irregularitatis, egregie respondit *Rot. dec.* 126. *n.* 18. *cor. Ubald.* ibi = *Demum nec obstant sententiæ latæ ab Episcopo, & Inquisitore, Adrien. contra Subditos d. Abatiæ in causa hæresis, quia illæ non procedunt ex jurisdictione ordinaria, sed delegata, quæ competit Episcopo in tali materia, etiam contra Exemptos* =, & punctualissime firmat eadem *Rot.* in *citata Ratisbonen. jurisdictionis super Manutentione* 21. *Februarii* 1766. §. 17. *cor. Eminentissimo Zelada* = ibi = *Quapropter nihil Exemptionis detrahunt istiusmodi Actus, qui cum ipsa exemptione recte compati possunt, & a delegata jurisdictione metiuntur*.

53 Nec exagerandæ geminæ illæ Resignationes, quas initio sæculi superioris Miechovienses Præpositi in manibus Ordinarii expleverunt. Nam illud scire satis est, quod unus alterque resignans Præposituram Miechoviensem minime fuit Canonicus Regularis nostri Ordinis, sed *Sacerdos Sæcularis* a Rege nominatus. Accedit quod hujusmodi Resignationes idcirco emissæ fuerunt, quia ambo Resignantes evecti fuerant ad ampliorem dignitatem, alter

sci-

scilicet *ad Episcopatum Uladislaviensem*, & alter ad *Episcopatum Plocensem*; ut nosci potest ex ipsis resignationibus, quæ a Parte Adversa afferentur. Jam vero si Resignantes erant Præsbiteri Sæculares, & si resignationes prorsus inutiles fuerunt, quia Præpositura vacat *ipso jure*, cum aliquis Episcopatum consequitur, profecto hujusmodi actus tribuendi sunt incuriæ sęcularium Resignantium, quibus explorata non erant nostri Ordinis privilegia, & malitiæ Officialium Episcopi, quorum pruriebat animus suam ampliare jurisdictionem. Si quæ veritati reverentia est, haud sane actus hujusmodi præsertim mere voluntarii, & inutiles nostræ exemptioni damni aliquid inferre potuerunt, ut ait *Rot. in d. Ratisbonen. super Manutentione* 15. *Iunii* 1764. §. 6. *cor. Emo Zelada*.

54 Frustra etiam prædicat Pars Adversa, quod sęculo decimo quinto Cracoviensis Episcopus interdum dederit Præpositis Miechoviensibus absolutionem a censuris, & semel quoque certum consensum revocaverit datum a Præposito pro quorumdam bonorum venditione. Quod enim attinet ad tributam absolutionem, data hæc fuit uni, aut alteri Præposito, qui erat *Sacerdos Sæcularis*, & ideo redit id, quod paulo ante dicebamus, quod scilicet ignorantia, aut conniventia horum Sæcularium, qui etiam illud agere potuerunt, ut toties suæ conscientiæ consulerent, obicis nihil inferre potuit nostri Ordinis privilegiis. Rursus ab Episcopo tam indici, quam revocari potuerunt censuræ *ex jure delegato*, quod manifeste fortasse ex actis constaret, si ea, ut decet, adducerentur. Quid quod Episcopus contra illos procedere potuit non uti Præpositos Miechovienses, sed uti sæculares Pręsbyteros, uti revera *an.* 1577. Episcopus censuras indixit, & postea absolvit *Simeonem LugosKi Præpositum Sæcularem* non tamquam Præpositum Miechoviensem, sed tamquam *Possessorem Patrimonii*, *seu villæ suæ BialisKorcien.*, uti ex ipso contrario documento colligitur? Nisi e finibus nostris excesserunt saluberrimæ leges, quibus hactenus usi fuimus, fieri certe non potest, ut actus hujusmodi, qui ita obscuri sunt, & incerti, vetustissimam exemptionem, & possessionem nostram evertant, ut recte statuunt *Spad. cons.* 128. *num.* 5. *lib.* 2., *Letter. de re benefic. lib.* 1. *qu.* 24. *n.* 248., *& in Cit. Marsicen., seu Nullius Iurisdictionis* 7. *Iun.* 1700. §. 39. *cor. Muto*.

55 Ejusdem indolis sunt acta judicialia, quæ in Episcopali Curia Cracoviensi gesta sunt. Neque enim, quia vetustis tem-

temporibus nostri Ordinis Canonici, sive eorum Præpositus Generalis ad eamdem Curiam venerint, id argumento esse potest, quod Episcopo subjecti esse debeant. Et animadvertendum sedulo est, quod complures ex iis actibus gesti fuerunt ad instantiam Superiorum nostri Ordinis, quibus idcirco tamquam Actoribus integrum erat sibi forum eligere sine aliquo suæ exemptionis detrimento. Alii quidem actus gesti videntur contra eosdem Præpositos, qui vel in jus venerunt coacti metu censurarum, & vi præpotentium Episcoporum, vel qui erant Præsbyteri Sæculares, & tamquam proprio, ac peculiari suæ familiæ nomine in judicium veniebant, uti habet decretum quoddam editum an. 1578. contra *d. Simeonem Lugouski*. Quidam etiam ex iis actibus pertinent ad Causas decimarum, & miserabilium Personarum, quæ idcirco trahi non potuissent ad Tribunal Nuntii Apostolici, qui Varsaviæ commoratur, atque a Civitate Miechoviæ distat *biscentis milliaribus* Italicis.

56 Atque illud dignum observatu est, quod cum in judicio sub anno 1610. acto inter Præpositum Miechoviensem, & quemdam Canonicum Ecclesiæ Cathedralis Cracoviæ, ab hujus ore vox una excidisset, quod *tantum Abbates, & non Præpositi sunt exempti*, ne quod forte exinde in nostri Ordinis privilegia redundaret præjudicium, statim Præpositus ad Sedem Apostolicam provocavit, & si quæ danda fides est actis, quæ exadverso exhibentur, in ea Causa sententia lata est non ab Episcopo, sed a Iudicibus Commissariis, qui mutuo Partium consensu electi fuerant. Idem dictum volumus de uno illo actu, qui nostro hoc sæculo videtur gestus fuisse contra Custodem Conventus Generalis Miechoviensis. Nam qui in jus venit, Procurator, utut speciali mandato munitus dicatur, non omisit mandare literis saluberrimam illam clausulam = *Salvis beneficiis juris suis Principalibus reservatis in toto* = & nihil amplius in posterum in illa Causa actum est. Tantum igitur abest, quod nostra exemptio quidquam acceperit detrimenti, quia nostri Præpositi interdum sive sponte, sive coacti ad Tribunal venerunt Episcopi, ut imo quæ eorumdem judiciorum occasione opportune gesta, ac protestata fuerunt, digito monstraverint incolumem, & illibatam conservaverint d. nostræ Exemptionis possessionem, *Abbas in Cap. gratum sub num. 7. de Offic. delegat., Rot. cor. Bichio decis. 215. num. 7. & 8., & in recent. decis. 240. n. 15. par. 7.*

De-

57 Deterioris vero sunt furfuris Actus nonnulli indifferentes, & extrajudiciales, qui superiori ætate interdum in Officio Curiæ Cracoviensis gesti sunt. Nam hi respiciunt plerumq; vel Inscriptiones Censuum ad Monasterium Miechoviense spectantium, vel Quietationes, vel Constitutiones Procuratorum, qui sane actus voluntarii, eoque consilio gesti in publico Officio, ne rerum memoria periret, cum ubilibet fieri potuerint, haud sane arguere possunt nostri Ordinis subjectionem. Approbationes vero paucæ sive commutationis voluntatum, sive concordiæ, ultraquod tributæ fuerunt, cum easdem petiissent Sæculares, quorum favorem actus respiciebat, tametsi concessæ aliquando videantur rogantibus Præpositis Miechoviensibus, inhabiles tamen renunciari deberent ad subversionem nostræ exemptionis; Neque enim devium est a juris disciplina, quod ad Episcopum provocetur, ut confirmet, probetq; contractum initum super bonis Ecclesiasticis, secundum *Tex. in Can. Terrulas caus.* 11. *qu.* 2., prætereaque semper urget fatalis illa animadversio, quod per hujusmodi actus nequaquam poterant Præpositi sui Ordinis privilegiis inferre aliquid detrimenti, nisi primum accessisset consensus Sedis Apostolicæ, a qua eadem privilegia concessa fuerant, uti observant *Vital. in Clem.* 1. *num.* 57. *de Offic. Vicar., Calder. cons.* 5. *num.* 1., *Surd. cons.* 47. *numer.* 25., *&* *Rot. decis.* 1278. *num.* 3. *coram Seraphin.*, *& decis.* 239. *num.* 16., *&* 17. *part.* 8. *Recent.* ibi = *Ex quo enim Privilegium fuit concessum Ecclesiæ, ut supra fuit firmatum, Abbas non potuisset ei præjudicare, sed requirebatur Sedis Apostolicæ Consensus, dum ei d. Abbatia est immediate subjecta.*

58 Quid tamen hæc morosius persequimur? Satis est replicare animo, quod Summus Pontifex *Eugenius IV.* sequutus exemplum *Urbani*, ideo nostro Ordini concessit novum Exemptionis privilegium, quia, ut ipse professus est, in sua Bulla = *Licet Exemptio prædicta pluribus ex Ordinariis innotuerit, ac per illos exiiterit observata, quia tamen interim, dum schisma duraret, aliquorum d. Ordinis Priorum, Fratrumque negligentia, sive litium strepitibus existentibus contra juris sui prosecutionem, vel alias per quosdam ex Ordinariis prædictis, aut eis instantibus, seu prosequentibus per alios Iudices diversæ forsitan etiam sine definitione contra plerosque ex ipsis Prioribus promulgatæ &c. fuerunt Sententiæ, & ab aliquibus exemptioni hujusmodi, necnon illius effectui esset derogatum &c.* propterea decrevit = *omnes & singulos processus, necnon excommunicationis &c. Sententias, & quidquid fieri, & attentari contigerit contra tenorem*

dictæ

dictæ exemptionis NULLIUS EXISTERE FIRMITATIS = *Summario num.3.*, *& litt.B.C.D.*, *&* E. Quam deinde Bullam confirmavit Pius II., *Summario num 4.*; & pari modo Pontifices consequentes irritum declararunt quidquid contra hæc privilegia actum est, *Summario nú.5.* 6. 9. 10. 11., 12. Sunt igitur deridiculi omnes contrarii actus, postequam omnes irriti declarati fuerunt a Summis Pontificibus, de quorum potestate nefas est dubitare; Nec id a jure difforme est = *Nam cum Episcopus exercet jurisdictionem ordinariam, facit actum contrarium privilegio exemptionis, & sic supra suam potestatem perperam effertur* = ut ait *Lotter. de re benefic. lib.1. quæst.28. num.267.*

59 Quod multo pronius in casu nostro locum sibi vindicat propter disertissimam illam manifestationem, quam emisit ann. 1620. Præpositus Miechoviensis, & quam refert *Samuel Nakielski*, cujus ope nedum contradicti fuerunt, & elisi omnes quicumque actus antecedenter ab Episcopo attentati, sed etiam nostræ Exemptionis possessio luculentius probata fuit, & confirmata, *Summario num.44. per tot.* Nugatorium igitur, & plane joculare est nobis vitio vertere præsertim in hoc Manutentionis judicio actus illos vetustissimos, quos jamdiu refutavit auctoritas Sedis Apostolicæ; & solemnis Protestatio, adversus quam nihil umquam oppositum fuit, omnino fecit enerves, & profligavit, ut in puncto ponderavit *Rot. in cit. Ratisbonen. jurisdictionis super Manutentione 15. Iunii 1764. §.7. cor. Eminentissimo Zelada* = ibi = *At etiamsi non obstarent præmissa, nihilominus iidem Actus nullam animadversionem mererentur, sive quia gesti contra clarissimas Apostolicas Constitutiones, quæ suapte natura inficiunt quamcumque contrariam Possessionem, ac operantur, ut Manutentio concedi semper debeat ei, cui assistunt Privilegia, EXCLUSO ORDINARIO, Rot. &c., sive demum quia isti nihil conferre possunt in hoc Manutentionis Iudicio* =

60 Transeunt hæc in geometricam demonstrationem, si animadvertamus, quod post illam protestationem an.1620. nullus omnino afferri poterit actus exercitus in Monasterium Miechoviense, ejusque Præpositum Generalem vel ab Episcopo Cracoviæ, qui unus controversiam hanc excitavit, vel a cæteris Poloniæ Episcopis, qui meliori ducti consilio silent omnino, atque conquiescunt. Quo fit, ut cum observantia, qua nititur Pars Adversa, continua non sit, & pacifica, hinc quamvis ea perspicue, & evidenter, non autem perobscure, & ambigue demonstraretur, ea tamen nullo in numero haberi deberet,

ne-

neque evertere posset antiquissimam possessionem nostræ exemptionis, quæ usque ad hunc diem pacifica semper fuit, & perpetuo servata est, ut in specie considerat *Rot. in cit. decis.239. num.27. part.8. Recent.* ibi = *Et propterea exinde resultare nequit non usus privilegii, & observantia ad favorem Ordinarii, cum certum sit, quod observantia ad hoc, ut suffragetur, debeat esse continua, & pacifica respectu illius, cujus interesse læditur.*

61 Quid quod contrarii actus adeo vetusti, informes, æquivoci, & perpetuo contradicti evertuntur a longa illa serie actuum, qui a nobis dantur, & qui potiores sunt, recentiores, atque exemptionem apertissime evincunt? Re quidem vera non uno, aut altero, sed quatuor, iisque specialissimis Decretis, sive Sententiis agnita, & confirmata omni ætate fuit hæc ipsa possessio exemptionis. Ita anno 1510. Vicarius Generalis Archiepiscopalis Curiæ Gnesnensis Decretum edidit, quo duos nostri Ordinis Canonicos inter se litigantes *remisit ad Superiorem eorum TAMQUAM EXEMPTOS*, *Summario numer.*38. Simililiter anno 1631., posteaquam scilicet emissa fuerat manifestatio illa, cujus supra meminimus, Commissarii ipsius Curiæ Gnesnensis *visa, lectaque Bulla Urbani IV., per quam a jurisdictione D. Archiepiscopi Præpositus est exemptus*, *Summario num.39. litt.A*, statuerunt = *dictum Præpositum IN IUDICIO PRÆSENTI FORUM PATI NON POSSE* = *dicto Summario num.39. litt.B.* Rursus hoc ipso sæculo, in quo versamur, anno scilicet 1747. Nuntius Apostolicus, ad quem uti Judicem Exemptorum confugerat Præpositus Miechoviensis; qui molestias patiebatur in eadem Curia Archiepiscopali Gnesnensi, decrerum edidit, quo *circumscripsit Decretum Archiepiscopi Gnesnen. ex defectu jurisdictionis nulliter latum, mandavitque causam in Tribunali suo proponi, Summ. n.40. litt.B., & D.*

62 Denique novissimis hisce temporibus, hoc est anno 1760. Sacrum hoc Tribunal contra Episcopum Præmisliensem, qui suæ jurisdictioni subesse contendebat Ecclesiam, & Conventualem Domum in Pzevorsko in ejus Diœcesi sitam, & subjective unitam Monasterio Miechoviensi, Sententiam evulgavit, qua post plures, easque egregias Decisiones edixit = *non constare de subjectione illius Ecclesiæ jurisdictioni Episcopali Præmislien. neque quoad res, neque quoad personas* = *Summario num.*47. Neque vero ambigi potest, quin hac exemptione in conspectu ipsius Episcopi Cracoviensis, & totius Poloniæ Episcoporum semper potiti fuerint Præpositi Miechovienses per omnes, quos semper exercuerunt, actus jurisdictionis, & qui refe-

runt

runtur *in Summario num.*17. 18. 19. 20., *& seq.* Nemo autem, cui cor modeste saliat, inficiabitur, quod actus hujusmodi, & judiciales declarationes, quæ nullam habent dubitationem, & quæ nostræ exemptionis possessionem apertissimam commonstrant, præsertim cum socios, comitesque habeant Apostolica privilegia, sine dubio anteferri debeant contrariis actibus, qui dubii sunt æquivoci, & contradicti, uti pluribus cumulatis docet *Rot. in Burgen. jurisdictionis* 3. *Iulii* 1713. §. *ult. coram Barbadico* ibi = *Præsertim vero, quia illorum tenor confunditur, penitusque enervatur ex serie visitationum, & ex judicialibus declarationibus superius perpensis, quibus plenior fides præstanda est.*

63 Percipi vix potest, quam ob causam urgeat Pars Adversa, quod Miechoviensis Præpositura hoc sæculo interdum data in Commendam fuerit. Fallitur egregie, si forte putat, ea de causa exemptionis nostræ possessioni aliquid detrahi potuisse. Meminisse enim decet, quod an. 1719. peculiari rescripto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium sancitum fuit = *Abbatem Commendatarium NULLAM HABERE IURISDICTIONEM in Monasterium commendatum, ejusque membra, & Monachos Ordinis nostri etiam quoad Monasticum Institutum* = *Summario num* 45. Id quod uberius constitutum fuit anno 1725. a Sede Apostolica edito rescripto, quo præceteris constabilitum fuit = *Eidem COMMENDATARIO NULLAM IN CANONICOS IURISDICTIONEM dandam esse* = *Summario num.*46. Id autem consentaneum est Juris dispositioni, qua edocemur, quod hujusmodi commendatio neque adimit antea quæsitam exemptionem, neque efficit, ut Monasterium commendatum remaneat Episcopo subjectum, cum jura omnia Commendatarii eo spectent, ut Ecclesiam commendatam defendere debeat, quemadmodum in re simili multis relatis respondit *Rot. cit. dec* 239. *n.*24. *part.*8. *Rec.* ibi = *Et ideo per illud non censetur sublata præcedens exemptio, nec operatur, ut dictum Monasterium dicto Archiepiscopo sit subjectum. Simplex enim Commendatio non tribuit jurisdictionem, vel dominium, sed tantum facit, ut Commendatarius commendatum teneatur defendere.*

64 Infirmius esset actus obtrudere interdum exercitos approbationis Concionatorum, & Confessariorum. Nam quod ad Concionatores attinet, postquam hi a Generali nostro Præposito electi sunt, non quidem approbationem, sed tantum benedictionem petunt a Locorum Ordinariis *Summario num.*21. *litt. E.*, *& F.*. Hic autem actus nullum omnino secumfert argumentum subjectionis, immo vero

sub-

subjectionem ipsam excludit, quæ si adesset, profecto nostri Ordinis Concionatores non benedictionem, sed approbationem ab Episcopo petere deberent: Et vero nemo ignorat, quod Regulares omnes licet exempti ab Episcopi jurisdictione, ab eo petere benedictionem debent, antequam divinum verbum Populo nuncient, uti rectissime tradit *Schmalzgrueber part.3. tit.29. de Parochis, & alienis Parochianis tom.3. num.27.* ibi = *Excipiuntur Regulares, & qui cum iis in privilegiis participant. Hi enim cum Superiorum suorum licentia, & petita benedictione Episcopi verbum Dei prædicare possunt in propriis Ecclesiis suorum Ordinum.*

65 Pari modo quod attinet ad approbationes Confessariorum, cum hæc jurisdictio etiam in exemptos Episcopo servata fuerit a Synodo Tridentina *Sess. 25. Cap 5. de Regular*, & in Constitutione Gregoriana, quæ incipit = *Inscrutabili* =, hinc eorum actuum exercitium minime ostendit jurisdictionem ordinariam, quam præsertim evidenter excludunt innumeri actus, quos supra retulimus, uti monet *Rota in Auximana Manutentionis 5. Maii 1740. §.11. coram Eminentissimo Elephantutio, & in citata Conversana Jurisdictionis 27. Novembris 1750. §.10. coram de Vais*, ibi = *Nullaque vis fieri potest in eo, quod Episcopi Conversanen. semper invigilaverint super Clausura Monialium, quodque concesserint licentias convocandi Capitulum &c., ac approbaverint Confessarios, & Concionatores, quia cum hujusmodi jurisdictio in exemptos reservata fuerit Ordinariis a Sacro Cancilio Sess.25. Cap.5. de Regular-, & in Constitutione Gregoriana, quæ incipit = Inscrutabili =, exercitium horum actuum nihil concludit ad probandam jurisdictionem ordinariam a suprarelatis actibus omnino exclusam.*

66 Similis inanitatis essent Visitationes, si quæ forte vitio verterentur nobis, factæ ab Episcopis in Ecclesiis, & Conventibus Miechoviensi Monasterio subjectis. Cum enim hujusmodi visitationes, quarum tamen nulla hactenus allata est, ab Ordinariis factæ censeantur in vim Concilii, scilicet jure delegato, non autem auctoritate ordinaria, nulla ex iis educi potest conjectura, quod interrupta fuerit possessio nostri Monasterii, ejusque Superioris, aut quod iis illatum aliquid fuerit detrimenti, ut scitissime advertit *Rot. coram Bich. decis.264. tom.4. num.20., & coram Pamphil. cit. decis.65. num.4.*, ibi = *Nec obstant Visitationes Episcoporum, quia ultra, quod illæ dantur confusæ, & diminutæ, ne ex illis possit apparere, an fuerint factæ auctoritate ordinaria, vel potius delegata; constat, fuisse factas vigore Sacri Concilii Tridentini, & non*

jure

jure ordinario, quod etiam visum fuit DD. admodum verosimile, quia ante Concilium non extendebatur aliqua Visitatio, & quæ dantur in Summario Episcopi, omnes sunt post Concilium, & ideo censentur in vim illius factæ, & non auctoritate ordinaria; Unde ex eis non potest dici interrupta quasi possessio Abbatis, neque quoad illam in aliquo ei præjudicatum.

67 Et perperam urget Pars Adversa Institutiones, quæ ab Episcopis datæ sunt iis, qui a Capitulo electi, & a Generali Præposito approbati fuerunt ad regimen Curæ Animarum in Ecclesiis Parochialibus nostri Ordinis. Nam hujusmodi Institutiones relatę in *Summario numer.33. per tot.*, quæ proprie non dicuntur collativæ tituli, sed *mere authorizabiles* locum habentes etiam in Beneficiis Regularibus, quibus adjuncta est Cura Animarum, ut scitè explicat *Leuren. in For. Benefic. quæst.7. tom.2.*, nullam facere conjecturam possunt subjectionis Episcopali jurisdictioni, uti de ipsis agens Institutionibus datis ab Episcopo Pręmisliensi nostris Beneficiatis definivit *Rot. in cit. Præmislien. Præpositura 27. Februarii 1760. §.11. coram R mo P. D. Ratta*, ibi = *Nihilque adversantur Institutiones per Episcopos Præmislienses Prævorscensibus Prępositis datæ. Quum enim res sit de Præpositura adnexam habente Curam Animarum, Administrationemque Sacramentorum, institutiones nihili officiunt Ecclesiæ Conventualitati, quippe quæ non intelliguntur propriæ, ac tituli collativæ, sed mere authorizabiles, quæ locum habent in Beneficiis, & Ecclesiis etiam Conventualibus adnexam habentibus Curam Animarum, & Administrationem Sacramentorum, quorum respectu Regularis Præpositus subest Episcopali jurisdictioni, utcumque ex Voto Obedientiæ Superioribus Ordinis in reliquis subjectus remaneat* =, *& in Confirmatoria 22. Januarii 1761. coram eodem.*

68 Deterrima denique omnium est Instantia illa anni 1764. excitata a Promothore Fiscali Curiæ Cracoviensis adversus Prædecessorem Præpositum Miechoviensem. Vix enim Præpositus Generalis illius temporis perspicua fecit Curiæ Episcopali sua Exemptionis privilegia, atque ostendit, se a Sede Apostolica tamquam Generalem, & Caput Ordinis fuisse confirmatum, statim eadem instantia floccifacta est, neque ullum amplius progressum habuit. Quinimo in posterum tum idem Præpositus, quamdiu vitam egit, tum Reverendissimus Dominus Matthæus Buydecki Principalis ejus emeritissimus Successor semper sine ullo dissensu, aut querela permanserunt in vetustissima exemptionis possessione, atque omnes exercuerunt

juris-

jurisdictionis actus, uti sunt actus Visitationum, electionum, deputationum, approbationum, remotionum, seque perpetuo Generales totius Ordinis inscripserunt, *Summario num 17. litt. V., & T., num. 18. litt. BB., & CC., n. 19. 20., & 21., & num. 33. litt. L. M. N., & DD.*. Tantum igitur abest, quod unica illa instantia aliqua ex parte labefactare potuerit nostram exemptionem, ut potius eam magis magisque confirmaverit, quemadmodum in proposito advertit *Rot. in Nullius, seu Marsicen. Jurisdictionis 7. Junii 1700. num. 38. cor. bon. mem. Muto*, & late *in allegat. dec. 2. num. 22. de Offic. Ordin. cor. Falconer.*

69 Quæ cum ita sint, nemo sane in hac multitudine, & copia monumentorum, quæ nobis præsto sunt, inficiabitur, quod plenissime vindicata sit ab omnibus fallaciis, & æquivocis Partis Adversæ vetustissima exemptionis possessio, qua semper potiti sunt Generales Præpositi Miechovienses. Reliquum ergo est, ut RR. PP. pro eo, quo feruntur, studio reddendi unicuique jus suum, coerceant injustissimas vexationes, quas nunc Reverendissimus noster Generalis Præpositus, & Canonici Ordinis Sancti Sepulchri immerito perferunt, iisque in ea, in qua semper fuerunt, & actu manent possessione Exemptionis *manutentionem* concedant, uti nos iterum humillime postulamus. Quare &c.

Joseph Aurelius Missini)
Joachim Pescatori) Adv.
Joannes Devoti)

Dominicus Franci.

R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis.

Super Manutentione.

PRO

Rmo D. Matthæo Buydecki Præpoſito Generali Canonicorum Regularium Ordinis SS.Sepulchri.

CONTRA

R.D.Promothorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis Cracovien.

A

Reſtrictus Facti, & Juris.

8

Typis Lazzarini 1777.